


✓ 7051. VI. C. 1.





# HISTORIA

IN SIGNIS INDULGENTIÆ

## PORTIUNCULA

NUNCUPATÆ

SACRI MONTIS ALVERNIAE

*Conventus cum Labaccia*

SUIS SANCTUARIIS  
*Discalceatione*

AC S. BERNARDI K.

SACRORUM STIGMATEM

FILIO DEI

SERAPHICO PATRIARCHÆ

## FRANCISCO

MIRABILITER IMPRESSORUM

IN

COMPENDIUM REDACTA

P. F. OTHONE SPRUG

SAC. ORD. MIN. STRICT. OBSERV. PROVINCIAE  
S. CRUCIS CROATIAE CARNIOLIAE ALUMNO

LABACI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI EGER,  
INCLYT. PROV. CARNIOL. TYPOGRAPHI.



*Infinitus Thesaurus est hominibus, quo,  
qui usi sunt, participes facti sunt amici-  
tiae DEI. Sap. 17. v. 14.*

*Mons coagulatus, mons pinguis - - -  
mons in quo beneplacitum est DEO habitare  
in eo - - - Psal. 67. v. 17.*

*De cætero nemo mibi molestus sit, ego  
enim Stigmata Domini JESU in corpore  
meo porto. Galat. 6. v. 17.*

030035841

# FACULTAS

ADMODUM REVERENDI PATRIS  
VICARII PROVINCIALIS

Cum opusculum in tres partes divi-  
sum, in quarum prima traditur  
historia de Indulgentia Portiunculæ,  
in altera de sacro Monte Alverniæ, &  
in tertia de Sacris Stigmatibus Sancto  
Patri nostro Francisco impressis, à duo-  
bus Patribus Theologis de Ordine no-  
stro revisum, & approbatum fuerit, ho-  
rum tenore facultatem facio, ut typis  
committi possit.

Dabam Labaci in Conventu Divæ  
Virginis in Cœlos Assumptæ die 18. Julii  
1766.

FR. BONAVITA DIETRICH

ORD. MIN. STRICT. OBS. PROVINCIA  
S. CRUCIS CROATIÆ CARNIOLIÆ  
VICARIUS PROVINCIALIS.

*IMPRIMATUR*

Ex Officio Episcopali Labaci Die 6.  
Augusti 1766.

CAROLUS PEER  
CANONICUS, ET VICARIUS  
GENERALIS.


# P R A E F A T I O

## AD LECTOREM.


**E**xiguæ quidem in se molis tibi Libellum præsento, at, si materiam, quam tractat, spectes, babes in eo duo grandia Divinorum Magnalium argumenta. Unum est, famosa illa, nunquam satis commendanda Portiunculæ Indulgentia, quam Magnus, & Gloriosus Patriarcha Franciscus Annō reparatæ salutis 1221. in Sacello S. Mariæ Angelorum propè Assisium in Umbria intercedente piissima Misericordiarum Matre à Domino Nostro JESU Christo pro omnium salute impetravit: Iste, enim, pauper clamavit, & Dominus exaudiuit eum Psal. 33. v. 7. Alterum est mirifica sacrorum Stigmatum in carne ejusdem Beatissimi Patris Francisci in venerando Alverniæ Monte facta

facta impressio, ut adeò ipse veraciter  
gloriari possit: De cætero nemo mi-  
hi molestus sit, ego enim stigmata  
Domini JESU in corpore meo por-  
to. Gal. 6. v. 17. Non quidem eo infi-  
cias, de binis his sacro Seraphico Or-  
dini Nostro propriis prærogativis jam  
quasi innumeros scripsisse Authores,  
cum tamen amplissima Chronologorum  
volumina omnibus non sint ad manus,  
Et aliás prolixia lectio nauseam, Et tæ-  
dium pariat, delectet verò abbreviata,  
quæ etiam memoriæ facilius imprimi-  
tur, legentem non fatigat, nec men-  
tem ejus onere suo opprimit, spem  
mihi facio, vel ideo pluribus istibæc  
duo singularia Seraphicæ Religionis  
Privilegia in compendium redacta,  
placitura. Porrò, ut obsequenterem  
me in omnibus Sanctæ Romanæ Ec-  
clesiæ filium tester, me pleno cultu,  
Et observantia Urbani VIII. Ponti-

*ficiis Maximi Decretis de Anno Chri-  
sti 1631 die 5. Junii submitto, profi-  
teorque me omnia per præsentem opel-  
lam congesta, & conscripta non alio  
sensu accipere, ac intelligere, quam  
eō, quō à Sancta Matre Ecclesia ac-  
cipiuntur, & intelliguntur, & sic  
accepta, atque intellecta ab  
eadem approbantur.*



**PARS**



## P A R S P R I M A

D E

### INDULGENTIA PORTIUNCULÆ.

Q. Ubi, quando, & à quo Ædicula *Portiunculæ* ædificata, sub cuius Dominio olim extiterit, & quæ antiquitùs fortita sit Nomina?

R. **S**Acra hæc Capellula in amæna valle Spoletana propè muros Civitatis Assisiensis A. C. 513. concurrentibus Assisiatum eleemosynis à quatuor Eremitis, qui ex Palestina visitatis sacris Jerusalem locis in Italiam advenerant, ibique pedem fixerant, extructa est. Post abitum Eremitarum in Massiliam hæc benedicta Capellula A. C. 900. in proprietatem Patrum Benedicti norum de Monte Subasio transfivit.

Varia aliquando habuit Nomina I.  
Vocabatur Sacellum Beatæ Mariæ de Jo-  
saphat propter quasdam Reliquias, quas  
præfati Eremitæ secum ex valle Josaphat  
portaverunt, & huic loco dona-  
verunt. II. Sacellum *de Portiuncula* à si-  
tu, seu vico, ubi extorta est, qui  
*Portiuncula* dicebatur, idque pro-  
pter paucos agellos, quos veluti *Por-*  
*tiunculam* Patres Benedictini *de Mon-*  
*te Subasio* in ampla illa campi planicie  
possidebant. Vide Franc. Bartoli in sua  
historia manuscripta in pergameno de  
Indulgentia Portiunculæ pag. 3. III.  
Sacellum Beatæ Mariæ Angelorum, seu  
*de Angelis*; unde viri, & mulieres illius pa-  
triæ dicere solebant: *eamus ad Sanctam*  
*Mariam de Angelis*; hanc autem denomi-  
nationem ea ratione habuit, quia ibi  
altare erat erectum in honorem Beat. Vir-  
ginis Mariæ Angelorum ministerio in  
cœlos assumptæ, id, quod antiqua pi-  
ctura monstrabat, licet hodierna Imago,  
quæ cum magna solemnitate, & gravi-  
bus cæremoniis aliquando Peregrinis  
mon-

monstratur , Annuntiationis Beatæ Virginis Mariæ Mysterium repræsentet , coram qua , ut continuata apud nostros fert traditio , Seraphicus Patriarcha admirandam Portiunculæ Indulgentiam obtinuit.

Divus autem Bonaventura censet , hoc Nomen huic Ecclesiæ obvenisse ex Angelicarum ibi visitationum frequentia , quibus Angelicis visitationibus tractu temporis cessantibus , cessante ibi eorum concantu adeò successivè refriguit erga dictum sacrum locum populi pietas , adeò diminutus est ad eundem ejus confluxus , ut tandem omnino defecerit , & capella deserta usque ad Divi Francisci tempora remanserit , nec ad aliud quam pastoribus tempore nivis , & pluviarum excipiendis , testibus Gonzaga , & Waddingo , deservierit : quam tandem Filius Mercatoris Franciscus collectis hinc inde per vicos , & plateas elemosynis ob ferventem devotionem , quâ erga Cœlorum Reginam flagrabat , re-

paravit. Reassumpsit hæc Capella pristinum nomen, postquam Sanctus Franciscus eo in loco Angelorum familiaritate, Beatae Virginis, & ipsius Christi visionibus in obtinenda Indulgentia dignatus fuit.

Q. Quomodo obvenerit hæc Ædricula Patribus Franciscanis ?

R. CUM in Rivo-torto ab Assisio quasi duobus milliaribus distito tugurium derelictum , ubi Sanctus Pater primitus cum dilectis duodecim Discipulis suis , omni commoditate orbatus jejuniis , vigiliis , Cœlestium contemplationi , & pietatis operibus jugiter vacabat , nimiè esset angustum , ut crescentem Fratrum numerum vix capere posset , cogitavit Vir Sanctus acquirere Ecclesiam , ubi Fratres dicere possent Horas , & pauperculam domum , ubi possent quiescere , & operari . Rogavit ergo Episcopum Assisiensem , ac dein Canonicos Sancti Ruffini , ut sibi , & Fratribus suis de

de ejusmodi domo , & Ecclesia benignè providerent , cui reposuit Episcopus : *Fratres nullam habeo Ecclesiam , quam valeam vobis dare.* Idem responderunt Domini Canonici . Adivit dein Seraphicus Pater Abbatem de Monte Subasio , qui pietate motus habitō præviè consiliō cum Monachis Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Portiuncula ei concessit , quæ vel inde gratior Francisco , atque acceptior fuit , quod suis antea curis esset reparata .

**Q.** Quomodo acceperit possessiōnem hujus Ecclesiolæ S. Franciscus ?

**P.** Ius quidam Sacerdos nomine Petrus Mazzancoli Assisiensis post restorationem dicti Sacelli , curam ipsius gesserat , gurgustiūmque vicinum ædificaverat . Illuc adveniens Sanctus Franciscus versus noctem præstitam sibi gratiam à Benedictinis eidem narravit , dummodo ille pacifice , & amicè locum cedere vellet . Bonus ille Sacerdos in viri

Viri Sancti irruens amplexus, nihil magis se desiderasse dixit, quam, ut Beata Virgo in hac sua sancta licet humili Capella pie coleretur. Cieri porro fecit vicinum agricolam, qui coram referret, quod saepius antea narraverat, multoties divinum melos se ibidem percepisse, fulgoremque per fenestras effulsisse mirificum. Gavisus est Franciscus ad Presbyteri humanitatem, & multò magis ad tantæ ædiculæ concessionem. Summo mane misit Franciscus Socium Rivo-tortum, jussitque, ut Fratres ibidem comorantes secum ad Portiunculam transferret. Quod factum est. Ibi cum pedem fixisset cum suis Discipulis, numerus eorum ita brevi tempore excrevit, ut in primo Capitulo ibi celebrato ad quinque millia Fratrum convenerint, ubi, licet omnium necessariorum esset penuria, ait S. Bonaventura, divina tamen opitulante clementia, & victus sufficientia suberat, & salus comitabatur corpora, & spiritualis jucunditas affuebat.

**Q.** Quam visionem habuerit S. Franciscus in *Ædicula Portiunculæ* ante suorum adventum?

**R.** **N**octe illa, qua à Patribus Benedictinis ad præmemoratum Presbyterum declinavit, Franciscus in dicta Ecclesiola requiescere cogitavit, ut pacatiùs, & largiùs in proximo superventuram Beatæ Virgini commendaret familiam. Sed ecce! ad primas noctis vigilias lux magna resuluit in habitaculo, & coram apparuit in altari Christus Dominus cum sacratissima Genitrice, multis undique stipati Cœlitibus, Franciscum placido, & svavi dignantes aspectu. Quorum benigno intuitu animum sibi addens Vir Sanctus, humillimè adoratos, humilius interrogavit: *Sanctissime Domine, Rex Cœlorum, Mundi Redemptor, dulcis amor, & supernarum potestatum Regina, quæ tanta in banc ædicolam vestra dignatio, ut è Cœlorum sublimitate in humilem banc aram placeat descendere?* cui statim Divi-

num

num responsum: *Illa mei, Matrisque adventus occasio, ut perdilectum hunc locum, nobisque charam banc ædem tibi, tuisque despensemus.* Quibus dictis statim divinum evanuit spectaculum. Conterritus Franciscus, & gaudens: *verè, inquit, locus iste Sanctus est, & Angelico potius, quam humano dignus incolatu.* Hinc, dum licuerit, non recedam, & mihi, meisque erit in memoriale perpetuum Divinæ miserationis.

**Q.** Utrum S. Franciscus hanc Mariannam Capellam in proprietatem suscepere perit?

**R.** **U**T altissimæ paupertatis zelator Franciscus palam manifestaret, se nil velle proprii in mundo possidere, hoc Sacellum non aliter, quam in qualitate nudi, & puri hospitii acceptavit, id restituere paratissimus, quoties ejus redditio exigeretur à Benefactoribus, hinc in signum debitæ gratitudinis, & quasi pensionis, ut suum non esse, sed ex alieno se beneficio possidere ostenderet,

ret, quotannis Patri Abbati Benedictino fiscellam pisciculorum mittebat, & à Monachis loco eleemosynæ vas oleo plenum recipiebat. Jam autem ex remissione Patrum Benedictinorum à trecen- tis circiter annis hæc pisciculorum obla- tio cessavit. Ad perpetuam memoriam conservatur progenies talium pisciculo- rum penes Ecclesiam, quò ex aquæ du- etu aqua confluit.

**Q.** Quinam Religiosi ex Franciscanis hodie hunc sacrum locum ha- beant?

**R.** Efert Waddingus Author Anna-  
lium Minorum jam ab anno C.  
1415. ad RR. PP. Observantes transiisse  
totius Ordinis primævam à Sancto Fran-  
cisco commendatissimam domum San-  
ctæ Mariæ Angelorum in agro Assisiens-  
i Portiuncula nuncupatam annuente Mi-  
nistro Generali Fratre Antonio Angeli  
de Pireto Græco, annuentibus item Pa-  
tribus Provinciæ sancti Francisci, maxi-  
mè

mè iis, qui incolebant sacrum Conven-  
tum Assisi, ubi Sancti Patriarchæ cor-  
pus honorificè colitur. Successu tempo-  
ris Patres Regularis Observantiæ magni-  
ficum templum immensis Principum, &  
Fidelium eleemosynis condiderunt, in  
cujus media navi versus chorum reclu-  
ditur sacra Ædicula, in qua Christus se  
visibilem præbuit Francisco.

Q. Quò Annò, & qualiter Insig-  
nem *Portiunculae* Indulgentiam  
Christus Dominus huic Sacro lo-  
co concesserit?

R. CUm nocte quadam circa mensem  
Octobris Anno Domini 1221.  
Vir Seraphicus in sua cellula præfatæ  
Capellæ vicina pro peccatorum conver-  
sione ferventiùs oraret ad Dominum,  
apparuit ei Angelus significans, eum in  
ipsa Ecclesia à Domino JESU, ejus san-  
ctissima Matre, & Angelorum multitu-  
dine expectari. Ingressus Franciscus sa-  
crum delubrum, divinamque, quâ po-  
tuit,

tuit, pietate, Majestatem adorans, audit ibi Christum dicentem sibi, ut pro communi animarum consolatione, & salute, ac sui Nominis honore aliquid postularet. Tunc Franciscus adjutus patrocinio piissimae Matris Mariae, cuius opem imploraverat, orabat Dominum dicens: Sanctissime Pater noster! supplico ego miser peccator, quatenus gratiam banc humano generi impertiri velis, ut omnes, & singuli ad istum locum venientes, atque Ecclesiam introeuntes, peccatorum omnium, quorum confessionem Sacerdoti fecerint, veniam, & Indulgentiam universaliter obtineant. Subintulit statim Christus Dominus: Ego quidem petitionem tuam admitto, sed volo, ut adeas Vicarium meum, qui ligandi, & solvendi potestatem habet in cœlo, & in terra, ac ex parte mea banc indulgentiam ab eo postules.

Q. Quid post hæc egerit Franciscus? quomodo exposuerit Christi Vicario suum desiderium, Deique

voluntatem? & quid ei responderit Pontifex?

**S**UMMO mane die sequenti assump-  
to socio Fratre Massæo à Marig-  
nano Perusium se contulit ad Dominum  
Papam Honorium III. ibidem tunc cum  
curia commorantem, ad cuius pedes be-  
nignè admissus humiliter ait: Sancte Pa-  
ter, nuper ad honorem Beatæ Virginis Ma-  
riæ Matris Christi vobis Ecclesiam quamdam  
restauravi, supplico itaque sanctitati vestræ,  
ut in ea Indulgentiam liberam absque oblatio-  
nibus instituatis. Pontifex audita hac in-  
solita petitione Viri simplicitatem, & unà  
ardentissimum animarum zelum tantis-  
per admiratus respondit: hoc convenienter  
fieri non posse: quoniam, qui Indulgentiam ob-  
tinere cupit, debet eam aliquo modo promereri.  
**S**ed indica mihi, ait Pontifex ad Franciscum,  
quot annorum petis Indulgentiam illic institui?  
respondit Sanctus: Beatissime Pater, &  
Domine! placeat sanctitati vestræ non tam  
donare annos, quam animas. Et quomodo,  
inquit Pontifex, vis animas? velim, ait

S.

S. Franciscus, placeat Sanctitati vestræ, quod quicunque ad illam Ecclesiam venerint contriti, & confessi, atque, ut decet, per Sacerdotem absoluti, ab omni culpa, & pœna liberentur in cælo, & in terra, idque à die sui baptismatis usque ad diem, & horam introitūs præfatæ Ecclesiæ. Ad hoc Pontifex: magnum est, quod petis Francisci! nec est Curiæ Romanae consuetudo hujusmodi Indulgentiam largiri. Reposuit B. Franciscus: quod peto Domine, non ex me postulo, sed ex parte ejus, qui misit me Dominus Iesus Christus. Moxque Papa intulit ter publicè dicens: placet mihi, quod hoc habeas.

Q. Cujus sensus fuerint Eminen-  
tissimi Domini Cardinales circa  
Indulgentiæ Portiunculæ conce-  
ssionem?

R. Facta per Pontificem Beato Franci-  
scum magnæ hujus Indulgentiæ con-  
cessione, præsentes Cardinales ejusmo-  
di indultum ægræ ferentes dixerunt ad

Pontificem : videte Domine ! quid agatis ?  
 si enim huic tantam conceditis Indulgentiam ,  
 ultramarinam Indulgentiam destruitis, & in-  
 super ipsa , quæ ad limina Sanctorum Apo-  
 stolorum Petri , & Pauli instituta est , dein-  
 ceps non æstimabitur . Ait eis Papa : dedi-  
 mus , concessimus , nec expedit irritum face-  
 re , quod actum est , sed modificemus In-  
 dulgentiam , ut ad diem tantum natura-  
 lem protendatur . Revocato itaque Bea-  
 to Francisco dixit : Ecce ! concedimus ex  
 nunc , quod quicunque venerit , & intraverit  
 Ecclesiam , pro qua postulas , ritè confessus ,  
 & contritus , liberetur ab omni culpa , &  
 pœna . Istud autem valere volumus singulis  
 annis in perpetuum per diem tantum natura-  
 lem à primis Vesperis includendo noctem ,  
 usque ad vespertas diei sequentis . Cumque  
 Beatus Franciscus humiliter inclinato  
 capite egredieretur , Dominus Papa hoc  
 videns vocavit eum : quo vadis simplicia-  
 ne ? quid certi refers de tua Indulgentia ? cui  
 Beatus Pater respondit : sufficit mibi Do-  
 mine verbum tuum ; si enim Dei opus est ,  
 ipse opus suum innotescere faciet , ego aliud

*instrumentum non requiro, sed charta sit Bed-  
tissima Virgo Maria, Notarius ipse Christus  
Dominus, Angeli testes.*

Q. An hæc Indulgentia populo sta-  
tim fuerit promulgata ?

R. **D**uo elapsi sunt anni post obtentam  
à S. Francisco magnam illam In-  
dulgentiam pro visitantibus Ecclesiam  
Sanctæ Mariæ Angelorum; & cum dies  
adhuc non fuisset destinatus, quō fide-  
les tanti thesauri fierent participes, ex-  
pectavit Vir Sanctus, ut, qui tantarum  
erat Author gratiarum, ipse esset & Di-  
spensator Deus, & quo die eas vellet di-  
stribui, palam manifestaret. Initiò itaque  
Anni 1223. apparuit Francisco iterum  
Angelus dicens ei: *Surge cito Francisco,*  
*& ad Ecclesiam propera, ibi enim te Chri-*  
*stus cum Matre sua expectat.* Reverenter  
igitur Vir Sanctus Ecclesiam ingressus  
vidit Christum Dominum cum Virgine  
Matre, & multa Angelorum frequentia  
stantem, & mox eum adorans dixit: *San-*

Etissime Pater noster, Domine cœli, & ter-  
 ræ, atque humani generis Salvator! digne-  
 ris propter magnam misericordiam tuam de-  
 cernere diem Indulgencie huic loco per temet-  
 ipsum concessæ. Accessit patrocinium glo-  
 riosæ Virginis ejus Patronæ. Tum Chri-  
 stus respondit: volo, sit diés illa, in qua  
 Petrus Apostolus meus fuit à vinculis solutus,  
 incipiendo à secundis Vesperis illius diei, us-  
 que ad vespertas sequentis includendo noctem  
 intermedium: quo tempore, quicunque hanc  
 Ecclesiam ingressus fuerit, plenam, quam  
 postulâsti, indulgentiam obtineat.

Comparens postea Franciscus cum  
 tribus sociis Fratribus Bernardo à Quin-  
 tavalle, Petro Cataneo, & Angelo de  
 Reate in Patriarchio Lateranensi coram  
 Papa, & Cardinalibus ait humiliter: Dig-  
 nissime Vicarie Christi! voluntas Dei est, ut  
 quicunque à vespbris primæ diei mensis Au-  
 gusti &c. Intelligens ergo Pontifex ex  
 sinceri, & minimè fallacis viri narratio-  
 ne, ista placuisse Christo Domino ad  
 preces Beatissimæ Virginis, palam gra-  
 tiam, seu Indulgentiam postulatam

pro

pro die specificata concessit, seu potius confirmavit.

Porrò ratio congruentialis, quod indulgentia Portiunculæ incipiat à die, & vesperis secundis Sancti Petri ad Vincula, esse potest ista, ut, sicut ille liberatus est à catenis ferreis, ita in ejus die incipient per immensam Dei dignationem, & sacram Indulgentiam homines solvi à gravioribus vinculis peccatorum juxta illam Ecclesiæ precationem: *Deus, qui Beatum Petrum Apostolum à vinculis absolutum illæsum abire fecisti, nostrorum quæsumus, absolve vincula peccatorum &c.*

Q. Qualiter, & à quo cælestis hæc Indulgentia fuerit annuntiata populo?

R. Sic res contigisse fertur. Honorius Papa scripsit Episcopis Assisiensi, Perulino, Tudertino, Spoletano, Fulginati, Nucerino, & Eugubino, ut ad kalendas Augosti omnes ad Ædem de Portiuncula convenirent, Ecclesiam consecrarent, & solemniter In-

dulgentiam hanc publicarent. Convenientibus ipsis in unum, erecta fuit ampla, & lata lignea pergula, ex qua Episcoporum hortatu circumstanti populi- rum multitudini eo fervore, & spiritu prædicavit Franciscus, ut non homo carnalis, sed Angelus videretur. Completo sermone tenens quamdam schedu- lam in manu dixit: *Ego volo vos omnes mittere ad Paradisum, & annuncio vobis Indulgenciam plenariam, quam optimi de voluntate Patris cœlestis, & ab ore summi Pontificis, & vos omnes, qui venistis hodie, & qui venient annuatim hoc ipso die contrito corde confessi, & per Sacerdotem absoluti, habeatis plenam Indulgenciam peccatorum vestrorum.* Ego volui pro 8. diebus, sed non potui, nisi pro uno die. Cum autem septem altefati antistites perpetuate Indulgenciæ per Franciscum publicatæ non nihil commoti, eam ad 10. Annos arctare voluissent, occultâ vi impulsi *perpetuam miraculosè pronunciârunt.* Hæc referuntur in originali Diplomate Conradi Episcopi Assisiensis dato anno

Do-

Domini 1335. in charta pergamena Si-  
gillo magno pendente, & conservato in  
Archivio Assisiensi RR. PP. Conven-  
tualium.

**Q.** An, & quomodo probari possit,  
mirabilem hanc Indulgentiam  
esse à JESU Christo B. Francisco  
concessam?

**R.** HUjus concessionis veritas demon-  
stratur I. testimonio Petri Colfan-  
ni, qui S. Franciscum prædicantem au-  
divit, & magnam illam cœlestem Indul-  
gentiam publicantem. II. Fide duorum  
Religiosorum, Benedicti videlicet, &  
Raynerii de Aretio, annô 1277. referen-  
tium, se integrum facti hujus historiam  
audivisse à Fratre Massæo à Marignano,  
qui unus fuit ex Sociis S. Francisci, &  
cum ipso Perusium profectus est ad pe-  
des Honorii III. cum is Dei voluntatem  
suspiciens, indulgentiam, de qua ser-  
mo habetur, est elargitus. Quæ omnia  
continentur in antiquissimo authentico

monumento Bibliothecæ Colbertinæ edito à Stephano Balutio in suis Miscellaneis lib. 4. pag. 491. Concordant Sancti Bernardinus Senensis serm. 9. de cultu SS. Trinitatis in Dominica Quadragesimæ art. 3.c. 2.& Antoninus 3. part. hist. tit. 24. cap 7. §. 4. III. Constat id ex publico quodam instrumento anno 1335. jussu Conradi Episcopi Assisiensis confecto , cujus jam supra memini. IV. Historiam Portiunculæ referunt gravissimi Authores , qui omnes amplè probant , hanc sacram Indulgentiam fuisse à Christo Domino concessam. Lege Apologiam historiæ Indulgentiæ Portiunculæ per Patrem Benedictum Tullensem Capuccinum 1714. conscriptam. Item historiam criticam ejusdem Indulgentiæ per Matthiam Growels 1726. Vitam S. Francisci à R. P. Candido Chalippe , & eamdem vitam per Angelicum de Vincentia editam anno 1736.

Q. An ex silentio S. Bonaventuræ in descriptione vitae S. Francisci nul-

nullitas divinæ hujus Indulgen-  
tiæ rectè à quibusdam inferatur?

**R.** **V**Idetur quidem mirum, quod S. Bonaventura ex professio conscribens historiam vitæ S. Patris, nil de apparitione JESU Christi cum Maria Matre Virgine, multis comitantibus Angelis: nihil de postulatione, & concessione plenissimæ Indulgentiæ: nihil de accessu saepius repetito ad Summum Pontificem pro eadem Indulgentia ab ipso obtinenda, & determinatione diei: nihil de miraculo roscarum, media hyeme collectarum in vita S. Francisci meminerit, nihilominus silentium istud veritati Indulgentiæ *Portiunculæ* nullatenus officere, evincunt sequentia. I. Quia per argumentum negativum nihil probatur. II. Quia D. Bonaventura non omnia scriptis, & litteris consignavit, quæ ad laudem Seraphici Patris poterant pertinere, ut ipse in Prologo fatetur; nam si tot, & tanta is subticuit, ut aperte demonstrat Pater Growels, Ordinis Fratrum Mi-

norum Recollectorum, poterat indubie  
etiam subticere Indulgentiam Portiunculae,  
quæ evidentissima erat, & à nullo  
tunc oppugnata, aut ad crism revo-  
cata. III. Videtur S. Bonaventura se vo-  
luisse conformare intentioni S. Francisci,  
qui hanc cælestem gratiam scriptis evul-  
gare, & argumentis probare vetuerat,  
saltem usque ad aliquod tempus dicens:  
*Christum Dominum opus suum per seipsum*  
*divulgaturum, ac magnificaturum, id,*  
quod hodie mirabili modô evenisse cer-  
nimus. Et ideò (prout superius re-  
tuli) Diploma obtentæ Indulgentiæ  
confirmativum ab Honorio III. ob-  
latum renuit acceptare confidentiâ in De-  
um plenus, eidem declarando, se nolle  
aliud instrumentum præter Christum,  
B. Virginem, & Angelos testes. Hæc  
cum omnia scivisset S. Doctor, Indul-  
gentiam Portiunculæ prætermissose potu-  
it, utpote à Præcone Christo per uni-  
versum orbem modô mirabili pervulga-  
tam, sicquè omnibus notam.

**Q.** An veritas Indulgentiæ *Portiunculæ* etiam miraculis comprobetur?

**R.** **D**uo hic referto I. Pater Frater Sanctevilla Franciscanus in suo libro de Indulgentiæ Portiunculæ testatur, Juvenastrum quemdam redeuntibus Assisiō Peregrinis, quō Indulgentiā lucrandi causā convenerant, obviam factum iis insultasse hoc dictorio: *tam parūm credo, quod vos illam Indulgentiā impetraveritis, quam parūm est verum, quod illa bivundo, quæ longe illuc per aërem avolat, sedeat in mea manu.* *Vix dixerat, & illi* cō avicula converso volatu ejus manui insedit, *quō prodigiō attonitus veniam Juæ temeritatis à Deo, & devotis Peregrinis oravit.* II. Annō 1305. Religiosus quidam Florentinus probatæ vitæ, & notæ pietatis Vir: dum hujus sacræ Indulgentiæ lucrandaæ causā Assisium venisset, vidi in ipsa meridie D. N. JEsum Christum in solio Majestatis super ipsum templum eretto,

&amp;

& astantem S. Franciscum, qui advenientes puro, & contrito corde eidem præsentabat, quos Christus ampla bonorum charismatum benedictione donabat, qua visione de Indulgentiæ hujus veritate confirmatus, donec vixit, eam lucrari nunquam prætermisit. Ita Wadingus ad annum Christi 1309. Numero 16.

Q. An sint alia testimonia, quibus veritas hujus Indulgentiæ confirmatur?

R. **C**onscribit iterum Waddingus celeberrimus Ordinis nostri Chronologus ad A. C. 1277. & 1309. sequentia. I. Peregrina quædam Germana tacitis sacrosanctis Evangelii super Mariæ Virginis Altare fassa est, sibi sanctissimos Viros Dominicum, & Petrum Martyrem apparuisse, nutantemque circa veritatem hujus Indulgentiæ (quam condemnaverat, & falsam dixerat suus confessarius) in ejus fide, & devotione confirmasse. II. Illuminatus Episcopus Af-

fisiensis retulit Fratri Angelo Perusino Provinciæ S. Francisci Ministro Provinciali, sibi Româ redeunti apud castrum *Morlupi* unum ex oppidanis narrasse, se singulis annis Assisium hujus Indulgentiæ lucranda causâ abiisse, illò verò anno ab Accolis disvasum, inanem eam garrientibus, intermisisse, donec ter in somnis admonitus à pulcherrimo viro sibi in forma Diaconi apparente, in latere eum fortiter percutiente, & de incredulitate redarguente, devotam illam peregrinationem reassumpserit. III.  
Dum Beatus Joannes Alvernica 2. Augusti cujusdam senis propè Perusium habitantis, & ultra 100. annos habentis, confessionem exciperet, quæsivit ex sene, cur consumptis jam viribus iter Assisium assumeret? respondit: Pater Reverende! si venire non possem, me vehi curarem, imò & trahi, ne facer hic dies absque tanto lucro transfiret. Instante confessario, unde tantam hujus Indulgentiæ fidem concepisset? reposuit Senex: Dum S. Franciscus Perusium ad summum Pontificem

pro

pro sacræ hujus Indulgencie confirmatione pergeret , apud meum pernoctavit Paren- tem , cui , me præsente multa de efficacia hu- jus Indulgencie recensuit ; uti ergo bucusque non omisi , ita nec imposterum omittam , sa- cro hoc remissionis aie Assisium comparere . Adnecto ex Francisco Bartholi Assisia- te in peculiari de hac Indulgencia trac- tatu , detrahentibus hujus Indulgencie veritati , & certitudini , varias à Deo ef- se infictas pœnas , & immissa flagella .

Q. An Indulgencia Portiunculæ sit  
*quotidiana* ?

R. INvaluit aliquando in Ordine nostro  
I pia quædam perswasio , hanc In-  
dulgenciam esse quotidianam , & non  
tantum ad unum anni diem restrictam :  
fundabant Fratres vim suæ opinionis in  
authentico testimonio Fratris Massæi  
Bardi Minoritæ , postea Episcopi Clu-  
sini , ex quo desumebatur , Paulum III.  
A. C. 1544. cum Perusii moraretur , vi-  
væ vocis oraculo declarasse , quod Chri-  
sti

sti Fideles Capellam ingredientes qualibet die Indulgentiam consequerentur, uti consequuntur Kalendis Augusti, id, quod habetur in opere Octavii Episcopi Assisiensis, cui titulus: *lumi Seraphici di Porziuncola.* Ideò unus ex Fratribus A. C. 1625. affixit tabellam ad januam Capellæ cum sequenti inscriptione

*Augusti veniam dat tibi quæque dies.*

Cum autem contra hanc inscriptionem pugnare videretur Gregorii XV. Constitutio: *Romanus Pontifex in specula, quâ omnia Antecessorum suorum vivæ vocis Oracula cassantur: & altera Urb. VIII. Aliâs felicis recordationis Gregorius, quâ præcedentem renovat, & confirmat, A. R. Pater Minister Provincialis Provinciæ Seraphicæ necessariò super hoc negotio mentem Pontificis esse explorandam censuit, cui, cum Papa respondisset, se nunquam intendisse revocare, quæ sui Prædecessores concesserant ( intellige de iis, quæ non*

vivæ vocis oraculō Pontifices indulserant ; nam hæc cit. Constitutione jam pridem aboleverat) hoc Pontificio responsō contentus , Fratres suos in primæva de quotidiana Indulgentia persuasione confirmavit , qui ablatà supràdictà tabellà lapideo Arcui Januæ Portiunculæ aureis litteris inciderunt hunc versum.

*Augusti hic veniam, dat tibi quæque dies.*

**T**Andem causa hac ad supremum Sacrae Inquisitionis tribunal delata, & accuratiùs examinata , num scilicet sœpè memorata Portiunculæ Indulgentia quotidiana esset, vel potiùs ad unam diem coarctata, auditis, & perpensis utriusque partis rationibûs die 3. Octobris A. C. 1691. istud prodivit

### DECRETUM.

**F**Acta relatione per Patrem Magistrum Bernardinum Ordinis Prædicatorum de juribus hinc inde de-

deductis à Patribus Ordinis Minorum Conventualium, & Minorum de Observantia respectivè super prætensa Indulgentia perpetua, & quotidiana concessa à Paulo III. Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Fratrum Ordinis Minorum de Observentia, Eminentissimi Domini prædictis juribüs visis, & auditis, dixerunt, ex hactenùs deductis non constare de dicta Indulgentia quotidiana perpetua, & proinde abradendam, & removendam esse inscriptionem super Janua Capellæ Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Assisii, scilicet.

*Augusti veniam, dat tibi quæque dies.*

**I**N cuius Decreti executione abrasa fuit illa inscriptio, ut apertè colligitur ex authenticis documentis in opere edito à Pompejo Binio A.C. 1721. Cui titulus: *La verità scoperta: tit. 6. §. 9.*

Q. Utrum Innocentius XII. in sua Bulla: *Redemptoris, & Domini nostri* edita 8. Augusti A.C. 1695. Indulgentiam *Portiunculæ quotidiana* concesserit?

R. **D**I vulgatō suprà positō Decretō mox Fratres à quibusdam minus Religioni nostræ addictis perperam, & injuriosè tamquam impostores, & Sacrarum Indulgentiarum confictores venditari cœperunt; idcirkò plures Europæ Principes eximii tanti Sanctuarii cultores Leopoldus Romanorum Imperator: Carolus II. Hispaniarum Rex: Maria Anna Vidua Regina Hispaniarum: Maria Anna Regina Hispaniarum: Eleonora Regina Poloniæ, & Cosmas Magnus Hetruriæ Dux pro remedio ad Innocentium XII. tunc in Petri cathedra sedentem per literas clementissimè recurrerunt. Quorum supplicibûs instantiis commotus Pontifex Breve in titulo citatum edidit, quô Indulgentiam

ple-

plenariam, & quotidianam concessit omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, qui poenitentes, & confessi, & sacra Communione refecti in quocunque anni die devotè visitaverint Ecclesiam S. Mariæ Angelorum, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint. Verùm (quod solerter notandum) hæc *Innocentiana Indulgentia* in pluribus differt ab Indulgentia *Portiunculæ*, de qua agimus, prout fusè ostendit Benedictus XIV. in suo erudito discursu de hac re impresso Romæ, dein Fulginii, tandem Venetiis A. C. 1720. & Pompejus Binius superiùs citatus.

**Q.** In quibus differant hæc duæ Indulgentiæ?

**R.** I. in eo, quòd Indulgentia *Portiunculæ* sit data Sacello inter prægrandem Ecclesiam situato: Indulgentia verò *Innocentiana* Basilicæ S. Mariæ Angelorum, suprà cujus januam nigro mar-

mori aureis litteris hæc incisa leguntur:  
*Indulgenciarum plenariæ, perpetuæ, quotidianæ.*  
**II.** Indulgencia Portiunculæ tantum durat  
per unum diem naturalem, à Vesperis sci-  
licet Kalendarum Augusti, usque ad  
Vesperas diei sequentis, Indulgencia  
verò *Innocentiana* non ad unum diem re-  
stricta est, sed extenditur ad singulos  
anni dies, ut patet ex terminis Bullæ:  
*In quocunque anni die.* Et ita declaravit  
Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrís-  
que Reliquiis præposita, die 16. Fe-  
bruarii A. C. 1739. nempe Indulgen-  
tiam Portiunculæ esse præcisè affixam di-  
ei secundæ Augusti, eámque incipere à  
primis Vesperis usque ad occasum solis  
ejusdem diei: Indulgenciam verò *quoti-  
dianam* concessam ab Innocentio XII.  
visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Ange-  
lorum non esse eamdem cum præfata  
Portiunculæ &c. **III.** Ad acquirendam In-  
dulgenciam Portiunculæ necesse est visita-  
re sacrum Sacellum, istud tamen non  
est necessum ingredi pro obtainenda *Inno-  
centiana*, pro cuius consecutione sufficit  
intra-

intrare majorem Ecclesiam S. Mariæ Angelorum; unde si quis secundà Augusti in ampla illa Ecclesia existens ædiculam, in qua Christus visibiliter apparuit Francisco non ingrederetur, Indulgentiam Portiunculæ non consequeretur, prout declaravit Clemens XI. A. C. 1706. IV. Pro Indulgentia Portiuncula adipiscenda sufficit sola Sacerdoti facta confessio, cum visitatione Sacelli: pro Innocentiana verò requiruntur 1. *Vera pénitentia.* 2. *Confessio,* 3. *Sacra Communio.* 4. *Devota visitatio.* 5. Pro christianorum Principum Concordia, heresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pia ad Deum oratio. V. Indulgentia Portiunculæ ad omnes Ecclesias sacri Ordinis S. Francisci extenditur, ut alibi ostendam. Innocentiana verò ad solam Ecclesiam S. Mariæ Angelorum restricta est. VI. Indulgentia Portiunculæ tempore Jubilæi non revocatur, bene verò Innocentiana cum aliis à Summis Pontificibus concessis eō annō suspenditur. VII. Indulgentia Portiunculæ plus

ries acquiri potest, seu *toties*, *quoties* quis ædiculam visitat, de quo infrà fuisse: *Innocentiana* verò semel tantum juxta ordinationem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 16. Februarii 1739.

VIII. Indulgentia *Portiunculæ* applicari potest animabus purgantibus per modum suffragii, ut dein videbitur: *Innocentiana* solum vivis prodest, iis scilicet, qui ad prædictam Ecclesiam S. Mariæ Angelorum confluunt, & ibi orant, ut claris terminis Bulla indicat: pro defunctis enim, cum nihil exprimatur, fructus Indulgentiæ non applicatur; Indulgentiæ enim solum profundit iis, pro quibus Pontifex applicat de thesauro Ecclesiæ satisfactiones Christi, & Sanctorum; atqui Innocentius solum applicat Fidelibus utriusque sexus ad S. Mariæ Angelorum Ecclesiam confluentibus, qui certè sunt vivi illi, & non Animæ Purgatorii: ergo.

Q. An, & quando obtinuerint Privilium Fratres, & Sorores Ordinis

dinis S. Francisci in suis respecti-  
vè Ecclesiis extra Ædem Beatæ  
Mariæ Angelorum consequendi  
Indulgentiam *Portiunculæ*?

R. **A**B initio extitit hæc Indulgentia  
solùm Assisi in Capella rurali  
dicta de Angelis usque ad A. C. 1480.  
hinc ipsimet Religiosi, & Moniales Or-  
dinis S. Francisci usque ad illud tem-  
pus debuerunt ire Assisium ad diem se-  
cundam Augusti, si Indulgenciæ *Portium-  
culanæ* participes fieri voluerunt; dein  
verò anno prædicto 1480. Albertus *de  
Forlano* Perusinus Angeli Vicarii Gene-  
ralis socius impetravit à Sixto IV. Apo-  
stolicum Indultum, vi cuius Fratres, &  
Sorores S. Francisci habentes clausu-  
ram domi in suis Ecclesiis magnam *Por-  
tiunculæ* Indulgentiam lucrari potuerunt.  
Eadem Concessio (teste Eusebio *Amort*  
in Hist. Indulg.) facta est A. C. 1515. in  
specie pro Monialibus S. Claræ, ut sic  
eis occasio per mundum discurrendi ab-  
scinderetur. Ex quo patet, eam pro

tunc nondum fuisse concessam pro sacerdotalibus, nisi tantum Assisii, & in Bavaria Monachii in Ecclesia Monialium S. Claræ, quibus Eusebius Amort loc. cit. affirmat per Bonifacium IX. A. C. 1401. id gratosè concessum esse, ut etiam sacerdulares secundà Augusti eorum Ecclesiam visitantes hanc insignem Indulgentiam consequi valerent.

Q. An Fratres *infirmi*, *itinerantes*,  
*captivi*, aut quocunque aliò modò legitimè impediti, quò minùs aliquam Ordinis sui Ecclesiam visitare valeant, dictam Indulgentiam *Portiunculæ* obtinere alibi possint?

R. EX speciali Privilegio Innocentii VIII. in Compend. Cassarub.  
¶. *infirmi* Fratres. num 2. & ¶. *Itinerantes* Fratres num: 5. omnes prænominati Fratres consequi valent Indulgentias *Portiunculæ*, *infirmi* quidem in sua quisque cel-

cella, imò & in lecto: *itinerantes* in aliis locis, ac Ecclesiis quibusvis: *captivi* in carceribus, modo alias conditiones impleant.

**Q.** Utrùm etiam Chordigeri *infirmi*, *itinerantes* &c. eòdem modò, quò nos Fratres Minores, lucentur Indulgentiam *Portiunculæ*?

**R.** **S**i x<sup>o</sup>xtus V. Bulla: *Divinæ Charitatis* apud P. Emanuelem Rodiguez Tom. I. qq. Regul. q. 58. a. i. Albo Archi-Confraternitatis S. Patris Francisci legitimè inscriptis, & ritè adimplentibus ea, quæ sic inscriptis adimplenda sunt, clementissimè indulget privilegium lucrandi Indulgentias ad eum modum, quò easdem lucrantur Fratres Minores.

**Q.** Utrùm tale Privilegium etiam *Syndicis Apostolicis nostrorum* Conventuum sit datum, ut *itinerare*, vel *infirmitate præpediti*, posint

sint Indulgentiam *Portiunculæ* in  
alia Ecclesia, vel lecto cæteris  
præstitis adipisci?

**E.** ID concessit ipsis Clemens VII. Bul-  
lā: *Dum consideramus &c.* editā 16.  
Aprilis A.C. 1526. quam adducit Ma-  
thæuccius in officiali Curiæ regularis c.  
31. & eam hic pro eorum solatio sub-  
jicio.

### CLEMENS VII.

**D**Um consideramus assiduos la-  
bores, & vigilias, quas dile-  
cti Filii Syndici, & Procuratores  
Domorum, & Monasteriorum Fra-  
trum Minorum S. Francisci, & Mo-  
nialium S. Claræ, Conceptionis, An-  
nuntiationis, Ordinum, & Sororum  
Tertiæ Regulæ S. Francisci sustine-  
re non cessant, meritò nos obligant,  
ut animarum suarum saluti consula-  
mus. Idcirkò uni Syndico, & Pro-  
cura-

curatoribus hujusmodi , cum illius uxore, & liberis, præsenti, & futuro singulæ domui & Monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus ipsi , & eorum quilibet, omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, favoribus, & gratiis , quibus Fratres Ordinis Observantiae prædictorum utuntur , potiuntur, gaudent, seu uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere possint, & valeant . - Authoritate postolica concedimus , & indulgemus &c. Volumus autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Aprilis.

1526.

In hac quidem Bulla non fit mentio de Portiuncula, sed non obstat, sumus enim in materia Syndicis nostris favorabili,

bili, quæ latæ, & amplæ est interpretationis.

Q. Quando, & à quibus Pontificibus fuerit Indulgentia *Portiunculæ* ad alias Ecclesiæ Ordinis Minorum S. Francisci pro *Sæcularibus* extensa?

R. COnveniens omnino videbatur tantum thesaurum ampliari, & non unius Sacelli angustiis coarctari, ut Fideles omnes tantæ gratiæ, tanti-quæ beneficij redderentur participes, & ita vaticinium S. Patris, nempe *Dominum opus suum magnificaturum*, impleretur; hinc Gregorius XV. A. C. 1622. die 4. Julii extendit Indulgentiam ad omnes Ecclesiæ Fratrum Minorum pro omnibus, & singulis utriusquæ sexûs Christi Fidelibus, Bullâ: *Splendor paternæ gloriæ*, quam hic adnecto:

## GREGORIUS PAPA XV.

*Ad futuram rei memoriam.*

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili charitate, pia vota Fidelium de clementi ejus Majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibüs, & meritis adjuvatur. Volumus igitur omnes, & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia, etiam Reformatorum ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi omnibus utriusque sexū Christi Fidelibus, verè poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione.

nione refectis, qui aliquam ex dīctis Ecclesiis in 2. die mensis Augusti à primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.  
Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituri. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillō alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibetur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel osten-

ostenſæ. Datum Romæ apud S.  
Mariam Majorem sub Annulo Pi-  
ſcatoris die 4. Julii 1622. Pontifi-  
catus nostri anno secundò.

S. CARD. S.  
SUSANNAE.

**I**Dem post eum fecit Innocentius XI. in  
ſua Bulla : *Alias felicis recordationis*  
edita A.C. 1687. die 22. Januarii, in qua  
ità loquitur. -- *Alias felicis recorda-*  
*tionis* Gregorius Papa XV. Prædeceſ-  
ſor noster omnibus, & singulis utrius-  
què ſexūs Christi Fidelibus verè pœ-  
nitentibus, & confessis, ac sacra Com-  
munione refectis, qui aliquam ex Ec-  
clesiis, Fratrum Minorum Ordinis S.  
Francisci de Observantia, etiam Re-  
formatorum nuncupatorum, ubiun-  
què existentium, die 2. mensis Auguſti  
a primis vesperis usque ad occasum

solis diei hujusmodi, annis singulis  
devotè visitâssent, ac ibi pro Christianorum Principum concordia,  
hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, piis  
ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum  
Indulgenciam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, &  
aliâs, prout in ipsis Gregorii Prædecessoris litteris in simili forma Brevis  
die 4. Julii A.C. 1622. expeditis, quas perpetuâs futurâs temporibus  
valere voluit, uberiùs continetur &c.

Benedictus XIV. de Synod. Dicecef.  
Lib. 13. c. 18. §. 5. novæ editionis ita  
habet - - -

D e validitate Indulgenciarum  
unculæ, ejusque extensione ad  
omnes Ecclesias Ordinis S. Fran-  
cisci

cisci ambigi non potest, nullo licet extante authentico documento, scientibus, & non contradictibus Romanis Pontificibus.

Porrò Indulgentiam Portiunculæ tantæ futuram amplitudinis non obscurè insinuatum est per id, quod Seraphico Patri eam petenti responsum est à Christo: *Grande satis est Frater Franciscus, quod postulasti, verumtamen majora impetrabis, haud dubiè in eodem genere factæ petitionis, non quidem intensivè, quasi aliquando alias præstantiores effet accepturus, sed extensivè, quod eadem non ad illum unicum tantum locum coarctandæ, sed ad plurimas sui Ordinis Ecclesiæ, Oratoria, Sacella pro omnium omnino salute sint ampliandæ.*

Q. An Indulgentia *Portiuncula* non tantum ad Ecclesiæ *Majores* Conventuum nostrorum, sed etiam ad *Ecclesiolas Hospitiorum Regularium*,

*Oratoria, & Sacella minora, five amovibilia, five occulta sint, extendatur?*

R. **O**Mnibus, & singulis his locis concessum esse Privilegium Indulgentiæ Portiunculæ, testatur P. Andreas Möbr in sua Portiuncula Theologica pag. 105. num: 12. assignans rationem; quia juxta Breve Urbani VIII. *Cum siccut A. C. 1639.* die 13. Julii editum, quod teste Francisco de Turano in brevi Compendio y. de Indulgentiis, num. 4. extat in Archivio Procuratoris Ordinis in Aracæli lib. 2. num: 52. omnes, & singulæ Indulgentiæ, peccatorum remissiones, ac pœnitentiarum relaxationes concessæ, & non revocatæ, ac concedendæ Ecclesiis Fratrum Minorum extenduntur ad eorum *Oratoria, seu Sacella,* five *amovibilia, five occulta sint &c.* Ex quo sequitur I. Posse Fratres in eodem Conventu habere plnra loca hoc Indulgientiarum thesauro dotata. II. Fratres (imò, & Extraneos quoscun-

què

què) posse lucrari Indulgentiam Portiunculæ in Sacellis *Infirmariæ*. III. *Salcam* in Ecclesiola D. Antonio de Padua sacra Regularis Hospitii nostri non minùs, ac in grandi Ecclesia *Montis Sancti Matris Gratiarum* supra Goritiam indulgentias Portiunculæ consequibiles esse.

**Q.** Utrum præter *Observantium*, & *Reformatorum* in Bullis: *Gregorianæ*, & *Innocentiana* expressè nominatorum, etiam Ecclesiæ RR.PP. *Conventualium*, & *Capucinorum* gaudeant Privilegiò Indulgenciæ Portiunculæ pro Sæcularibus?

**R.** Supposita Privilegiorum communicatione circa hoc nullus dubitandi supereft locus. Accedit, quod ex Declarationibus Romanorum Pontificum Leonis X. in compend. Casarub. v. communicatio privileg. c. 15. & Pii IV. ac Urb. VIII. Bullâ: *Quoniam Seraphica*

Regulæ &c. A.C. 1628. die 5. Martii in favorem RR. PP. Conventualium datâ, & alterâ: *Salvatoris, & Domini nostri.* A.C. 1627. die 28. Junii in gratiam RR. PP. Capucinorum editâ, nomine Fratrum Minorum veniant non tantum Patres Regularis Observantiae, qui unacum Reformatis, id est, Strictioris Observantiae, Discalceatis, Recollectis, Chordigeris &c. præclarissimum Religionis corpus efficientes sub legitimo Seraphici Patriarchæ successore Regulam purè, ut jacet, ad litteram observant, & profitentur, sed etiam Minoritæ, sive Conventuales, & Capucini, quorum Congregationes, licet diversis subsint Capitibus, & Rectoribus, unum tamen ex eo, quod ab eodem Institutore, quamquam non eod in gradu, & successionis methodo descendant, Ordinem integrare censemur. Constat ex Annalibus Boverii PP. Capucinorum, istam Indulgentiam A. C. 1608. per Paulum V. ad decennium, & A. C. 1622. per Gregorium XV. in perpetuum ad eorum Ecclesias esse extensam.

Q.

**Q.** Utrum etiam alii Religiosi *Mendicantes*, puta, RR. PP. *Dominicani*, *Augustiniani*, *Carmelitæ* &c. nobiscum in Indulgentia *Portiunculae* communicent, ita, ut etiam ad eorum Ecclesias magnus iste thesaurus viâ Communicationis descendat?

**R.** DE via communi, & ordinaria communicationis in Privilegiis, & nisi fortè Ordo quispiam ex præfatis communicationis specialis gratiam à Sede Apostolica aliquando obtinuisse, de quo mihi non constat, ipsi in amplissimo, & singularissimo hoc favore nobiscum non participant. *Mendicantes* etiam diversarum Religionum mutuo quidem comunicant in suis Privilegiis, sed Ordinariis tantum, non verò extraordinariis, quale est Indulgentia *Portiunculae*, Indulgentia consequibilis apud PP. Augustinianos in festo S. *Augustini*, apud Carmelitas in Festo S. *Eliæ*, apud nos

Franciscanos in Festo S. Francisci Seraphici, Antonii Paduani &c. In his, & aliis id genus Indulgentiis, ac Privilegiis extraordinariis non communicant multò, ut aliunde notissimum est.

Q. Utrum Ecclesiæ Clarissarum Ordini nostro subjectarum, seu sub Obedientia Fratrum Minorum viventium, habeant Indulgenciam Portiunculæ tam pro ipsis Monialibus, quam Sæcularibus?

R. Duplicis generis sunt Clarissæ; quædam enim sunt primæ Regulæ à S. Francisco præfixæ non multò dissimilis ei, quam Fratres profitebantur, quamque Gregorius IX. vivæ vocis oraculo confirmavit. Hæ Clarissæ nunc Coletanæ nuncupantur, quia primævam Regulam, & vitæ disciplinam à S. Francisco S. Clare traditam tractu temporis in pluribus locis collapsam A.C. 1406. per Sororem quamdam Beatam Coletam

nomine restauratam observant. Aliæ sunt secundæ Regulæ , alias *Urbanissæ* dictæ, quia crescente earum numero , atque pristino succursu eis deficiente *Urbanus IV.* quibusdam ex ipsis necessitate compulsis instantibus Regulam à *S. Francisco* præscriptam mitigavit, &, ut annuos redditus , atque immobilia bona possidere possent, indulxit. Cùm nonnulli in controversiam vocarent , Indulgentiam *Portiunculæ* pro die 2. Augusti in Ecclesiis Monialium *S. Claræ* , delata est causa ad Sacram Congregatiōnem Indulgentiis &c. præpositam , à qua emanavit sequens.

## D E C R E T U M

*Monialium instituti S. Claræ Ordinis Minorum S. Francisci.*

**S**ANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER BENEDICTUS PAPA XIV. sub die 23. Septembris 1741. auditò votò Sacræ Congregationis Indulgentiis , sacrisque Reliquiis præpositæ, ha-

bitæ die 19. ejusdem mensis, & anni Ecclesiæ Sanctimonialium Instituti S. Claræ Ordinis Minorum S. Francisci Indulgentiâ Portiunculæ die 2. Augusti à primis Vesperis usque ad solis occasum, sicuti gaudent Ecclesiæ Fratrum ejusdemmet Ordinis, gaudere benignè declaravit, èamque quatenùs opus sit, nova concessione confirmavit.

L. CARD. PICUS

PRAEFFECTUS.

*Loco + Sigilli.*

Ex hoc indubitatum manet Moniales Brunæ in Moravia sub jurisdictione Ministri Provincialis Provinciæ Bohemiæ S. Wenceslai Ducis, & Martyris Deo famulantes habere pro se, & Sæcularibus Indulgientiam Portiunculæ. De Znoymensibus Clarissis aliunde res extra omnem est controversiam, cùm eamdem

dem nobiscum habeant Ecclesiam, in  
qua alternativè horas Canonicas, &  
alia Divina persolvimus.

**Q.** Utrum Indulgentia *Portiunculae*  
concessa Ecclesiis *Clarissarum* Se-  
raphico Ordini subjectarum, æ-  
què obtineri possit à Christi Fide-  
libus visitantibus Ecclesias earum,  
quæ gubernio Episcoporum sub-  
jectæ sunt?

**R.** **D**ubii hujus affirmativam resolu-  
tionem habemus ex alio De-  
creto Sacrae Congregationis per Bene-  
dictum XIV. approbato.

Viennen. in Austria.

## DECRETUM.

**N**uper emanatum fuit Decretum te-  
noris, qui sequitur, videlicet . . .  
Cum pluribus non obstantibus De-  
cretis, quibus Sacra Congregatio  
In-

Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præ-  
posita declaravit, & signanter die  
20. Aprilis 1711. Monasteria om-  
nia Sanctimonialium, quæ à cura,  
& gubernio Fratrum suorum Ordin-  
um sub immediatam Episcoporum  
jurisdictionem translata sunt, seu im-  
posteriorum transferri aliqua ratione  
contigerit, non ideo Privilegia, &  
Indulgencias, quibus anteà gaude-  
bant, amisisse, seu amissum fore,  
sed eodem modō cunctis prædictis  
Privilegiis uti, & frui debere, ac  
si sub gubernio Fratrum suorum Or-  
dinum actu existerent: die verò 3.  
Decembris 1736. Monasteria Mo-  
nialium Elisabethinarum: licet sub  
cura, & gubernio Ordinariorum exi-  
stant, gaudere Indulgentiis earum  
Ordini generaliter concessis: ac die  
27. Septembris 1741. Sanctissimus  
Do-

Dominus noster, auditō priùs votō  
eiusdem Sacræ Congregationis die  
19. eiusdem mensis declaraverit, &  
quatenūs opus sit, concederit, Ec-  
clesias Monialium Clarissarum Or-  
dinis S. Francisci Assisiatis gaudere  
Indulgentiâ *Portiunculæ* nuncupata,  
die 2. mensis Auguſti pro omnibus  
Christi Fidelibus, eō modō, quō gau-  
dent Ecclesiæ Fratrum Minorum  
universi eiusdem Ordinis S. Franci-  
ci: & demum 18. Maji 1744. Sancti-  
moniales quascunque Ordinario lo-  
corum ſubjectas gaudere Indulgenti-  
is fuorum respectivè Ordinum, aut  
Congregationum, quarum ritum in  
officio recitando ſequuntur, ac ſimul  
inſtitutum profitentur: hīs, inquam,  
non obſtantibūs pro parte Moniali-  
um Tertiī Ordinis S. Francisci Con-  
gregationis Elisabethinarum nuncu-

patarum Civitatis Viennensis in Austria Sacræ Congregationi expositum fuerit, nonnullos credidisse, sive excogitasse, ipsarum Ecclesiam, & alias ejusmodi Congregationis, & Ordinis, utpotè Ordinario subiectas Privilegiis, & Indulgentiis in Ecclesiis earum Ordinis, & signanter pro die 2. Augusti concessis minimè gaudere, sed præfata Decreta pro Personis duntaxat Monialium, non verò pro omnibus Christi Fidelibus earum Ecclesias visitantibus intelligenda fore. Quare proposítò his desuper dubiò :

An Indulgentiæ generaliter concessæ Ecclesiis Fratrum pariter, & Monialium tum in diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus cunctæ, & singulæ æquè lucrifieri queant à Christi Fidelibus visitantibus Ecclesias Monialium, qua  
Or-

Ordinariorum gubernio, & jurisdictioni  
subfunt?

**S**acra Congregatio die 19. Au-  
gusti 1747. ad formam alterius  
Decreti diei 27. Februarii 1673. re-  
spondit, ac declaravit, *gaudere*. De  
quibus facta per me infra scriptum  
eiusdem Sacræ Congregationis Se-  
cretarium die 26. eiusdem mensis  
Sanctissimo Domino relatione, San-  
ctitas sua votum Sacræ Congrega-  
tionis benignè approbavit.

F.J.CARD.PORTO-  
CARRERO PRAEFFECT.

*Loco + Sigilli.*

A.M. Erba Protomo-  
tarius Apostolicus  
Secret.

Consequitur ergo ex hoc Decreto,  
Moniales omnes S. Ordinis Franciscani,

li

licet Episcopis, & non Ordinis Generali subjiciantur potiri Indulgentia Portiunculæ tam quoad se, quam sacerdotes; igitur Moniales Locopolytanæ, Münkendorffenses Celsissimo Principi, & Archi-Episcopo Goritiensi hodie Carolo e Comitibus ab Attems, & Clarissæ Labaccenses Celsissimo Principi, & Antistiti nostro nunc Leopoldo e Comitibus de Petazziis subjectæ perfruuntur privilegio Indulgentiæ Portiunculanæ.

Q. Quod aliud dubium in puncto Indulgentiæ *Portiunculanæ* emerserit circa Moniales Viennenses Elisabethinas, & quomodo per Sacram Congregationem resolutum?

B. Cum pro parte Monialium Elisabethinarum prefatarum dubitatum fuisset - - - an ipsæ, earumque Ecclesiæ præinserto favorabili Decreto comprehendantur, ex eo, quod licet  
con-

consueta vota substantialia Instituti, & Ordinis S. Francisci profiteantur, attamen non Divinum vigore præallegati Decreti 18. Maji 1744. sed Beatæ Mariæ Virginis Officium tantummodo recitant.

**E**adem Sacra Congregatio die 5. Februarii 1748. ejusmodi proposito dubio rescribendum esse censuit: consulendum Sanctissimum pro benigna declaratione. De quibus facta per me infrà scriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 2. mensis Martii prædicti anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum Sacrae Congregationis approbando benignè annuit, ac ejusmodi declarationem, seu concessionem quibuscumque etiam reliquis Monialibus Instituti, aut Ordinis S. Francisci Af-

sisiatis, earumquè Ecclesiis suffragari voluit.

F. J. PORTOCARRE-  
RO PRÆFECTUS.

*Loco + Sigilli.*

A. M. Erba Protono-  
tarius Apostolicus  
Secretarius.

Q. Utrum in Ecclesiis *Tertiario-*  
*rum, & Tertiatarum* sub triplici  
voto substantiali Religionis, &  
Fratrum Minorum obedientia,  
regimine, ac jurisdictione colle-  
gialiter viventium 2. Augusti sit  
pro Christi Fidelibus Indulgen-  
tia Portiunculæ?

B. **M**Ultiplex est *Tertiariorum* genus.  
Primum est illorum, qui cum  
tria vota solemniter emittant, veris  
Regularibus adnumerantur. Ex his  
sunt etiam mulieres, quas primū Ful-

gi-

ginii instituit currente saeculo 15. in Monasterio S. Annæ , nunc vulgo *Comitissarum* Beata *Angelina Comes de Corbaria*, quæquè sequentibus annis mirum in modum auctæ in variis Italiæ urbibus Cœnobia fundarunt. Secundum est illorum *Tertiiorum*, qui habitu Tertiij Ordinis induuntur , & in Conventibus servientes Fratribus , vitam ducunt. Hujus generis sunt etiam mulieres, quæ virginalem , aut cœlibem vitam simpliciter voventes , & sub dicto habitu vitam ducentes in consanguineorum , & affinium suorum , aut in propriis domibus , vel Collegio commorantur. Tertium genus est eorum , qui Regulam quidem Tertiij Ordinis profitentur , sed nullum votum emittunt. Quartum , & postremum genus complectitur illos , qui habitum Tertiij Ordinis quomodocunquè assumentes , nec vota ulla emittunt , nec Regulam ullô modō profitentur. Hi five viri , five mulieres nomine tantum sunt *Tertiarii*, non autem re , & vulgo *Eremitæ* dicuntur.

Secundi generis *Tertiarii* privilegiis  
gaudent Bullæ Nicolai V. *Etsi cuncto-*  
*rum*, & *Tertiariæ* privilegiis Leonis X.  
de anno 1518. Tertii generis *Tertiarii*  
sive viri, sive fœminæ, quemcunque de-  
mùm habitum deferant, à superiorum  
suorum jurisdictione, sive Ecclesiastica,  
sive Laica non eximuntur: si tamen re-  
citare teneantur Horas Canonicas, pos-  
sunt uti Breviariô, quô Fratres Minores  
utuntur, ex concessione Pauli III. in  
Bulla: *Ad fructus uberes.* Et ex Decre-  
to S. R. C. die 7. Augusti 1694. edito; si  
collegialiter vivunt, immediatè Ordini-  
narii jurisdictioni subduntur, licet non  
nulli oppositum doceant: in mulieribus  
autem ejusmodi Collegia ex *Piana Con-*  
*stitutione* omnino essent abroganda, &  
si tolerantur, non tamen gaudent Pri-  
vilegiis Leonis, & Concilii Lateranensis.  
Quarti generis *Tertiarii* nullô fruuntur  
Privilegiô. Jam ad propositum loquen-  
do de primi generis *Tertiariis*.

Concessit eorum Ecclesiis proutrius-  
que sexus Christi Fidelibus Indulgen-  
tiam

tiam Portiunculæ Urbanus VIII. in Bulla:  
*Cum sicut dilectus &c. data A. C. 1643.*  
die 13. Januarii his verbis: *Cum Fide-*  
*les ad Ecclesiæ dicti Ordinis non confluant,*  
*quia Indulgentia Portiunculæ prædictis Fra-*  
*tribus expressè concessa non reperitur, nos*  
*omnes Fideles, qui Ecclesiæ Fratrum Ter-*  
*tiariorum 2. die Augusti visitaverint, ple-*  
*nariam remissionem consequi declaramus, ac*  
*si in Ecclesiæ Minorum de Observantia per-*  
*agerent.*

Q. Utrum in Ecclesiolis *Residen-*  
*tiarum* Fratrum Minorum etiam  
Episcopis subjectarum concurren-  
tes Christi Fideles die 2. Augu-  
sti Indulgentiam *Portiunculæ* con-  
sequantur ?

Cum plura sint apud nationem Ger-  
mano-Belgicam publica Oratoria,  
seu parvæ Ecclesiæ unacum Fratrum  
Cœnobiolis, quæ *Residentias* vocant.  
quæque propterea Ordiniorum juris-

ditioni subduntur, dubitatum fuit, num Fideles in illis possent omnes lucrari Indulgencias, quæ Ordini nostro à Summis Pontificibus conceduntur: & proposito dubio Sac. Congregat. Indulgenciarum respondit *negativè* sub die 20. Septembris 1745. Iterum autem eidem Sacrae Congregationi humilibus exhibitis precibus, unaque similibus casibus in exemplum adductis emanavit sequens.

## DECRETUM.

Sacra Congregatio Indulgentiis, sarcisque Reliquiis præposita ad dubium super præfatis precibus formatum, nempe: An, & quomodo annuendum sit precibus in casu? prævio secessu à decisio sub die 20. Septembris 1745. omnes, & singulas Capellas publicas præfatorum Fratrum Recollectorum in Regione Germano-Belgica existentes gaude-re, donec Residentiam ibi Fratres du-

duxerint, omnibus, & singulis Indulgentiis, & Privilegiis, cæteris Ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis, duñodo ad illas Christi Fideles ad Sacrum audiendum, & ad percipienda Ecclesiæ Sacra-menta confluant, die 31. Januarii 1746. declarandum esse respondit. De quibus facta per me infra scriptum ejusdam Sacræ Congregatio-nis Secretarium die 4. Februarii ipsius anni Sanctissimo Domino rela-tione, Sanctitas sua votum Sacræ Congregationis benignè approbavit.

F. J. CARD. PORTO-  
CARRERO PRAEFFECT.

*Loco + Sigilli.*

A. M. Erba Protono-tarius Apostolicus  
Secret.

**Q.** Quæ Authoritas concessa sit Confessariis S. Mariæ Angelorum apud Assisium in Festo Portiuncula?

**U**rbanus VIII. Bullà: *Religiosos viros &c. edità Romæ A.C. 1642. die 10. Novembr. eis indulget facultates Pœnitentiariorum Romæ his verbis* . . . .  
Demum, ut Fratres ejusdem Ordinis ad audiendas Christi Fidelium confessiones aliàs approbatè omnibus, & singulis facultatibus Pœnitentiariis Apostolicis in hac alma Urbe nostra concessis circa administrationem Sacramentè Pœnitentiæ in Ecclesia S. Mariæ Angelorum nuncupata ejusdem Ordinis propè Assisium quotannis die 2. Augusti, quâ Festum solemne in dicto Ordine celebrari consuevit, dumtaxat uti possint, eisdem authoritate, & tenore præsentium concedimus.

Q.

**Q.** An prædicta Authoritas insit etiam Confessariis aliarum Ordinis nostri Ecclesiarum pro die secunda Augusti?

**R.** **Q**uantum ego scio, nullum hucusque emanavit Apostolicum Indultum, quō præmemorata potestas Confessariis nostrarum Ecclesiarum pro Festo Portiunculæ fuisset communicata. Deinde ex Regula 81. Juris in 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus; jam autem Sedes Apostolica non esset verosimiliter concessura prædictam facultatem singulis annis die 2. Augusti à Confessariis per totum Christianum Orbem in Ecclesiis Fratrum Minorum usurpandam, etiam si in specie peteretur, cum ejusmodi prærogativa sit restricta ad Pænitentiarios insignium Sanctuariorum, & semper fuerit reservata, & reservari etiamnum soleat Jubilao, quod ob publicam quamdam

necessitatem , & non ob meram devo-  
tionem indicitur.

Non rectè igitur sentire videtur P. Andreas Möbr in sua Portiuncula Theo-  
logica pag. 63. à num 11. ubi Confessa-  
riis in nostris etiam partibus die 2. Au-  
gusti potestatem inesse affirmat absolven-  
di à casibus etiam Sedi Apostolicæ , &  
Locorum Ordinariis reservatis , com-  
mutandi vota , componendi cum Pœni-  
tente super bonis injuncte partis &c.

**Q.** Quid suggerere debeat Confes-  
farius Pœnitenti sciscitanti , quid  
præstare obligetur ad lucrandum  
Indulgentiam *Portiunculæ*.

**R.** Suggerat eidem , quod ad consecu-  
tionem hujus cœlestis Indulgen-  
tiæ extra Assisium sint necessaria sequen-  
tia conformiter ad Bullas *Gregorianam* ,  
& *Innocentianam* extendentes hanc Indul-  
gentiam ad alias Ordinis Ecclesias.

**I.** *Confessio Sacramentalis, & Communio.*

Hæc autem obiri possunt , antequam  
In-

Indulgenteria incipiat: v. g. primo statim die Augusti manè, vel etiam ultimo die Julii, modo retineatur status gratiæ, donec visitata fuerit Ecclesia, & persolutæ preces. Peragi item possunt in quacunque Ecclesia, & loco, quia nullibi ad Ordinis nostri Ecclesiam restrin-guntur. Unde, si quis in aliena Eccle-sia, Parochiali, Cathedrali, vel Re-gulari, quæ non sit Ordinis nostri, etiam ad lucrandam ibi Indulgenteriam v. g. in Feste S. Ignatii apud RR. PP. So-cietatis confiteatur, & communicet, valet Confessio, & Communio ad obti-nendam quoque Indulgenteriam Portiun-culæ in nostra Ecclesia, modò hanc in-tra tempus præfixum visitet, & ibidem oret.

## II. *Oratio.*

Quæ non est determinata; quapro-pter perinde est, sive recitentur Lyta-niæ Lauretanæ, sive aliæ preces. Or-dinariè tamen, & rectè recitantur à lu-craturo Indulgenteriam 6. Pater, & Ave, cum

cum 6. Gloria Patri &c. ac unō Symbo-  
lō Apostolicō.

### III. *Visitatio Ecclesiae.*

Visitari autem debet Ecclesia, Ora-  
torium &c. Fratrum, vel Sororum Ordi-  
nis S. Francisci, cùm Indulgentia, de  
qua loquor, non sit à Pontifice quo-  
piam ad alias Eccleſias extensa five Re-  
gulares, five Parochiales. Animad-  
vertendum denique est, quòd ad effe-  
ctum sæpiùs obtinendi istam admiran-  
dam Indulgentiam requiratur semper,  
seu singulis vicibūs nova visitatio, five  
eiusdem, five alterius consimilis Eccle-  
siæ privilegiatæ. Dixi superiùs: *extra*  
*locum Portiunculæ;* nam istæ condi-  
tiones tantùm requiruntur pro aliis Eccle-  
siis nostris, ad quas Romani Pontifices  
Indulgentiam *Portiunculæ* gratiōsè exten-  
derunt, in ipsa autem Capella S. Ma-  
riæ Angelorum Assisi est hæc Indulgen-  
tia *libera*, nec aliud ad eam lucrifi-  
endam exigitur, quām *Confessio* facta Sa-  
cer-

cerdoti, & ejusdem Capellæ pia *Visita-*  
*tio* absque *Oratione* aliqua.

Q. Utrum Indulgentia *Portiunculae*  
possit etiam aliis vivis in statu  
gratiæ existentibus applicari?

R. Etsi in ordinariis Indulgentiis id  
non soleat, nec legatur fieri, ut  
aliis vivis applicarentur, id tamen abso-  
lutè loquendo fieri per Papam posset ex  
una parte, ex altera autem parte, quod,  
cùm Indulgentia *Portiunculae* actu sic con-  
tingat, probat communis sensus, & pra-  
xis Fidelium miraculosis exemplis com-  
probata teste Pittonio parte 2. dubiô 15.  
apud Bonaventuram *Conarum Hibernum*  
*Lectorem Jubilatum in Jubilæo jubilo*  
*Portiunculae*, *Affisii Ecclesiam S. Ma-*  
*riæ Angelorum visitantium, adeò, ut*  
*Sacrista Affisiensis nonnunquam octo,*  
*novem, aut decem millia testimoniorum*  
*impressorum tradat iis, qui à viris Prin-*  
*cipibus, atque aliis missi fuere ad illud*  
*Templum, ut eam Indulgentiam lucri-*

fa.

facerent, non sibi, sed illis, à quibus  
ablegati fuerant, appropriandam. Ex  
hoc crediderim, illam manasse multo-  
rum persuasionem, quod etiam extra  
Assisium in aliis Ecclesiis Ordinis liceat  
lucrari Indulgentiam pro aliis absenti-  
bus; cum autem Indulgentiarum valor  
non à populari persuasione, sed Roma-  
norum Pontificum concessionibus depen-  
deat, res hæc ad minimum incerta ma-  
net deficientibus authenticis documentis  
de ejusmodi concessione. Quia tamen  
contrarium hucusque Sedes Apostolica  
non declaravit, relinquimus nos Fran-  
ciscani in hac pia persuasione populum,  
nunquam tamen eidem hoc de publico  
suggestu prædicamus, ne incertas In-  
dulgentias publicemus.

**Q.** An Indulgentia *Portiunculæ* ani-  
mabus in Purgatorio profit?

**R.** **I**Stam Indulgentiam animabus in  
Purgatorio existentibus per mo-  
dum suffragii applicari posse, perspicue-  
erui-

eruitur ex Bulla Innocentii XI. Alias  
felicis recordationis Gregorius: ubi Ponti-  
fex facta talis Indulgentiæ ad alias no-  
stras Ecclerias extenſione ita prosequitur.  
Cùm autem dilectus filius modernus  
Procurator dicti Ordinis nobis nu-  
per exponi fecit, Indulgenciam ple-  
nariam, & peccatorum remissionem  
per dictum Gregorium Prædecesso-  
rem, ut præfertur, concessam, e-  
tiam animabus Christi Fidelium de-  
functorum per modum suffragii ap-  
plicari posse summopere desideret:  
nos piis ejusdem Procuratoris Ge-  
neralis hac in re, quantum cùm Do-  
mino possumus, precibus favorabi-  
liter annuere volentes Authoritate  
nobis à Deo tradita, Indulgenciam  
plenariam, & peccatorum remissio-  
nem Christi Fidelibus præfatis, su-  
pra dictas Eccleias Fratrum Ordi-  
nis S. Francisci de Observantia, &

Re-

Reformatorum dicta die 2. mensis  
Augusti, ut supra visitantibus, &  
præmissa peragentibus, concessam,  
etiam Christi Fidelium animabus,  
quæ Deo in charitate conjunctæ ab  
hac luce migraverint, per modum  
suffragii applicari posse, etiam per-  
petuò concedimus, & indulgemur.

**Q.** An Exemplis comprobetur, In-  
dulgentiam *Portiunculæ* mortuis  
suffragari?

**R.** Omnia narrare fastidiosum, & ni-  
mis grave foret. Quædam iterum  
ex Waddingo ad A. C. 1277. breviter  
hic subjicere satè erit. I. Civis quidam  
Venetus, dum pro 2. Augusti peregri-  
nationem Assisium instituere meditare-  
tur, in lethalem incidit morbum, un-  
de rogavit amicum, ut si eum mori con-  
tingeret, is pro anima defuncti Indul-  
gentiam lucraturus Assisium profici-  
retur: cum autem interpellatus amicus,

re-

quod fideliter spopondit, perficere neglexerit, apparuit ei defunctus, & violatae fidei redarguit, instanterque supplicavit, ut, si eum ex intolerabilibus Purgatorii pœnis liberare cuperet, promissa perficeret: abiit ergo Assisium, cui post obtentam Indulgentiam abinde revertenti mortuus totus gloriosus de accepto beneficio gratias agens apparuit. II. Fæmina quædam in Æde S. Mariæ Angelorum deposita peccatorum suorum Confessione aperuit Confessario, se paulò ante fratri moribundo promisso, Ecclesiam Portiunculæ pro ejus anima visitare, eumque ipsa nocte Indulgenciæ sibi apparuisse, & uberrimas reddidisse gratias; quia illâ ipsâ horâ (inquietabat defunctus) quâ pro me Ecclesiam intrâsti, è tormentis Purgatorii imunis evasi. III. Mulieri Siculæ Compostellam ad S. Jacobum pro anima filii peregrinanti apparebat filius defunctus petens, ut, dum Compostellâ redierit, die 2. Augusti Indulgentiam Portiunculæ pro eo lucretur, quô factô ab omnibus

nibus omnino Purgatorii pœnis libera-  
bitur: fecit ita pia Mater, & regredien-  
ti apparet filius, dicens jucundè, se ea-  
dem die, quæ illa Templum visitavit,  
ex igne Purgatorio ad cœlestia gaudia  
transiisse. IV. Quidam è S. Severini  
**Marchiæ Anconitanæ** oppido post con-  
secutam Portiunculæ Indulgentiam Assi-  
fiō reversus obiit, & apparuit uni ex  
Minoritis germano fratri Sacristæ Mo-  
nasterii ejusdem loci, valdè sollicito de  
salute animæ defuncti, asscurans eum,  
salvum se esse propter ingentes thesau-  
ros acquisitos in peregrinatione Assisiens-  
i, & in templo S. Mariæ Angelorum.  
V. Fæmina quædam, quæ cum 120.  
Personis ex Sclavonia advenerat, ut  
particeps fieret Indulgentiæ de Portium  
sula, eà obtentà cum magno comitum  
dolore repente expiravit. Verùm vix  
socii se ad navim receperant, in Pa-  
triam redituri, noctu illis defuncta  
comparuit inquiens: *Missa sum à Beata  
Virgine, ut vos consoler, & significem,  
me post Indulgentiam nec uno momento in*  
*Pur-*

Purgatorio fuisse, sed rectâ ad cælum evolasse.

**Q.** Utrum Indulgentia *Portiunculae* sit toties, quoties lucrabilis?

**R.** **V**Iget jam ab immemorabili tempore consuetudo pluries ingrediendi, & visitandi tam Capellam *Portiunculae* sitam in Ecclesia S. Mariæ Angelorum, quam reliquas Ecclesias Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci à Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad Vespertas sequentis diei sub certa, & indubitate spe dictam Indulgentiam lucrandi quolibet ex dictis ingressibus. Et quæso! quis istud indubium vocaret, quod etiam Romæ in facie Ecclesiæ non tantum homines simplices, sed etiam docti, piique viri, Prælati, Cardinales die 2. Augusti pluries Ecclesias nostras ingredientes practicant, quodque A. C. 1715. Clemens XI. factò, & exemplò comprobavit. Certè, si Indulgentia *Portiunculae* reverà toties,

quoties lucrabilis non fuisset, eam Papa concessit tolerando, permittendo, imò personaliter practicando consuetudinem istam; nam *ratibabitio de præsenti æquivalet mandato* juxta reg. 10. jur. in 6. Item consuetudo laudabiliter introducta ex tacito, vel expresso mandato Principis habet vim non solum interpretandi, sed etiam condendi legem ex communissima Canonistarum, & Teologorum sententia: ergo multò magis consuetudo immemorabilis acquirendi hanc Indulgentiam *toties*, quoties habebit vim sic eam interpretandi, eamque constituendi. Item error communis cum titulo putativo dat jurisdictionem in utroque jure, & foro: ergo si hæc Indulgentia esset ex solo errore communi ferè totius Orbis Catholici, iste error cum titulo putativo daret hoc privilegium, hanc eamdem Indulgentiam *toties*, quoties; in hac siquidem hypothesi ipse Papa suppleret defectum concedendo quod reverà concessum non fuisset. Deinde Indulgentiæ Portiunculæ Assisiens

Capellæ datæ sunt perennes; unde, quia  
 hæ cum eadem efficacia, & valore ad  
 alias Sac. Ordinis Nostri Ecclesiæ pro  
 2. die Augusti extensæ sunt, & aliunde  
 Indulgenciæ perpetuæ *toties*, *quoties* in  
 die obtineri possint ex D. Thom. 4. Dist.  
 20. q. 2. Art. 3. ad 4. *Si in aliqua Ecclesia*  
*Indulgentia sit perennis . . . tunc quoties va-*  
*dit aliquis, toties Indulgentiam consequitur,*  
 verum manet, Indulgenciæ Portiuncu-  
 læ 2. Augusti in omnibus Sac. Ordinis  
 nostri Ecclesiis *toties*, *quoties* obtineri.  
 Tandem B. Franciscus supplex petiit à  
 Christo, ut omnibus Capellam introe-  
 untibus concederet veniam, & Indul-  
 gentiam suorum peccatorum, cui re-  
 spondit Dominus: *id sibi placere*, ergo  
*quoties* quis ingreditur illam Capellam,  
 vel aliam nostram Ecclesiæ 2. Augusti,  
*toties* consequitur Indulgentiam; nam  
 ex reg. 15. jur. in 6. *odia restringi*; fa-  
 vores *convenit ampliari*. Vide plura  
 de hoc in Apologia Indulgenciæ Portium-  
 culæ *toties*, *quoties* applicabilis eruditè ex  
 multis compacta à Patre Sabino Bono-

nienſi in ſua luce morali parte 2. T. 65. ubi iſam Indulgentiam Portiunculæ *toties*, *quoties* lucrabilem ad longum ſolidè probat, omnibus ſolutis objectionibūs, adducitque ad id etiam Breve authenticum S. Pii V. affervatum in Archivio Monasterii de Ceravalle Civitatis Dicēcefis.

**Q.** Quæ fuerit olim Labaci circa Indulgentiam *Portiunculæ toties*, *quoties* lucrabilem exorta controverſia, & qualiter Romæ per Sac. Congr. fit decifa?

**R.** Postquam Innocentius XI. die 7 Martii A. C. 1678. Decretum Sacræ Congregationis approbavit, ſemel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam visitantibus confeſſam lucriferi, minùs æquum viſum eſt Celfiſſimo Principi Epifcopo Labacensi, quòd nos PP. Franciſcani Provinciæ S. Crucis Carnoliæ populo prædicaremus per ſingulos ingressus noſtra-

strarum Ecclesiarum à vesperis Kalendarum Augusti usque ad vespertas sequentis diei Indulgentiam plenariam obtineri; idcircò, prout sui muneris esse arbitrabatur, rem hanc detulit ad Sacram Congregationem, & questus est hiscè verbis: *Pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum Provinciæ Carnioliae populo persuadere, Indulgentiam pro 2. Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum Ecclesiam visitantibus concessam toties, quoties eadem die lucrifieri posse.* Sacra autem Congregatio ad instantiam Episcopi Labacensis contra nos Fratres Minores factam die 17. Julii 1700. post auditas informationes Procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis Antonii Lazari respondit: *Servandum esse solitum.* Quō responsō omnis controversia circa terminos toties, quoties sublata esse videtur. I. Quia nos confuevimus hanc Indulgentiam toties, quoties lucrabilem populo promulgare: ergo, cùm Sacra Congregatio censuerit *servandum esse solitum,* tacitè innuit hanc Indulgentiam esse to-

ties, *quoties* lucrabilem. II. Tam Episcopus Labacensis, quām Pater Minister Provincialis petierunt per Sac. Congr. definiri, an nostra Portiunculæ Indulgentia comprehendatur sub Decreto Sancti Mem. Innocentii XI. supradicto: ergo dum Sac. Congr. declaravit, *servandum esse solitum*, satis apertè mentem suam expressit, hanc singularem, & privilegiatam Indulgentiam sub præfato Decreto non contineri, consectariè esse de die *pluries* lucrabilem. Risu autem sunt digni, qui ly *servetur solitum* ad meriti referunt augmentum, quasi verò de hoc tam Excellentes Viri Romæ litigassent, quod etiam simplices anus nōrunt, Ecclesiast frequentanti meritum adaugeri.

Q. Quæ fuerit alia alibi de *toties quoties* controversia, & quomo-  
do per Sacram Congregationem  
dirempta?

¶. Non obstante resolutione Sacræ Congregationis, quā prior con-  
troversia decisa fuit, asserebant quidam  
Paro-

Parochi tam publicè , quām privatim  
sæpe memoratam Portiunculæ Indulgen-  
tiam acquiri quidem à visitantibus Ec-  
clesias Ordinis S. Francisci à Vesperis  
Kalendarum Augusti usque ad vespertas  
diei sequentis , sed *semel* tantùm in di-  
cta die ita , ut *toties* , *quoties* repetitus ea-  
dem die accessus ad præfatas Ecclesias  
ingredientibus , & visitantibus non pro-  
fit , ut *pluries* eadem die Indulgentiam  
lucentur , & hujus Sacræ Congregatio-  
nis responsum , quō dictum fuit , *ser-  
vandum esse solitum* , interpretabantur , ut  
relationem habeat non ad acquisitio-  
nem Indulgentiæ pro quolibet ingressu  
ad Ecclesiam , sed ad consuetudinem ,  
juxta quam non acquiritur , nisi *semel*  
dumtaxat in die Indulgentia concessa  
visitantibus certis diebus determinatam  
Ecclesiam , vel aliud pium opus per-  
agentibus.

Verūm sacro Ordini nostro admo-  
dūm abscona videbatur isthæc Parocho-  
rum interpretatio , tum quia Decretum  
de lucranda semel dumtaxat in die con-

cessa Indulgentia , visitantibus Eccle-  
siam certis diebus , editum fuit die 7.  
Martii 1676. quo non obstante Sacra  
Congregatio nihil planè detulit queri-  
moniis altefati Episcopi Labacensis, li-  
cet ex Officii sui debito , ut putabat ,  
contra Patres Franciscanos porrectis ,  
qui in hoc eos errare insimulabat , quod  
falsò persuaderent Indulgentiam Portium-  
culæ posse obtineri *toties* , *quoties* à Chri-  
sti Fidelibus die 2. Augusti nostram Ec-  
clesiam visitantibus , & præscripta pera-  
gentibus , ut constat ex Decreto supe-  
riùs allegato edito die 17. Julii 1700.  
tum quia , cum Indulgentia Portiuncula  
profit etiam animabus defunctorum jux-  
ta litteras Apostolicas san. mem. Inno-  
centii XI. impressas apud Matth. in of-  
ficial. Curiæ. cap. 26. num. 7. nil prohi-  
bet , ne eadem Indulgentia *pluries* ea-  
dem die applicetur modò pro una , mo-  
dò pro alia anima in Purgatorio existen-  
te. Ob hæc duo momenta proposuit  
ad instantiam Procuratoris Generalis  
Ordinis S. Francisci Minorum Obser-

vantium Prosper *de Lambertinis* pro tunc  
 Sacræ Congregationis Secretarius eidem  
 Sacræ Congregationi, ut jam aliquan-  
 do dissensionibus finis imponatur, di-  
 scutienda, & declaranda: *An Decretum*  
*hujus Sacræ Congregationis editum die 17.*  
*Julii 1700. quo dictum fuit, servandum*  
*esse solitum, ita sit intelligendum, ut indul-*  
*gentia Portiunculæ acquiri possit à Christi Fi-*  
*delibus à Vesperis Kalendarum Augusti usque*  
*ad Vesperas diei sequentis, non semel, licet*  
*pluries, debit is intercedentibus requisitis, Ec-*  
*clesias Ordinum S. Francisci visitaverint, sed*  
*toties, quoties easdem Ecclesias dicta die de-*  
*bitis intercedentibus requisitis visitaverint.*

Die 4. Decembris 1723. Sacra Con-  
 gregatio Eminentissimorum S. C. Car-  
 dinalium Concilii Tridentini Interpre-  
 tum censuit: *servandum esse solitum.* Quis  
 jam prudenter ambigat? Indulgentiam  
 Portiunculæ ad singulos Ecclesiārum no-  
 strarum die 2. Augusti ingressus præsti-  
 tis præstandis lucrifieri, postquam ad  
 finalem rei hujus toties controversæ de-  
 cisionem per Prosperum *de Lambertinis*  
*Sac.*

Sac. Congr. Secretarium postulatam re-  
jectis adversariorum super ly: *servetur  
solitum*. interpretationibūs , eadem Sa-  
cra Congregatio censuit : *servandum esse  
solitum*.

De privilegiata hac *Portiunculæ* In-  
dulgentia *toties*, *quoties* lucrabili egregiè  
hic Labaci die 2. mensis Augusti in fer-  
vidis suis sermonibus tam germanicè, quām  
carniolicè sēpe locuti sunt celeberrimi  
Prædicatores tum de Clero sæculari, tum  
regulari ; idque tam in Ecclesia RR.  
PP. Capucinorum , quām præsertim in  
hac nostra ad D. Virginem in Cœlos af-  
sumptam , sine hæsitatione afferentes,  
peculiarem hanc Indulgentiam *toties*,  
*quoties* obtineri posse: eorumque assertio  
non tantùm impugnata à nemine fuit ,  
sed magno sēpe cum populi, tum Vene-  
rabilis Cleri applausu, & annutu exce-  
pta, & approbata. Ex quo clarè inno-  
tescit, controversiam olim hic exortam  
per supradictas Romanas Declarationes  
penè esse consopitam , & omnem con-  
trariæ opinionis scintillam penitus ex-  
tinctam.

In

In illis autem tantum Ecclesiis Ordinis S. Francisci Indulgentia Portiunculæ *toties*, *quoties* est lucrabilis, in quibus soliti transitus semper erant practicati, in ejusmodi enim Ecclesiarum favorem tantum currunt binæ decisiones Sacrarum Romanarum Congregacionum: *servetur solitum.* Accedit, quod Privilegia per non usum amittantur.

Q. Quomodo sint hi termini *toties*, *quoties* intelligendi ?

R. JUDICO ego, singulis vicibus interpolandam esse aliquam moram. Interea tamen pro consolatione Fidelium exscribo verba P. Felicis Potestas p. 1. Exam. Confess. Tom. 4. c. 8. num 3803. & seq. ubi sic ait: *Plures tenent esse intelligendum, ut visitationes pro eadem die sint sive moraliter interruptæ, sive continuatæ, quia favores sunt ampliandi. Alii docent, visitationes debere esse moraliter interruptas, ut inter unam, & aliam visitationem aliquod mediet opus, & interpolatio. Afferunt exemplum*

plum in humanis: si quis enim, postquam Prin-  
cipem invisit, statim, & per plures vices  
absque interpolatione ad invisendum rediret,  
tales visitationes plus saperent risus, aut sto-  
machi, quam prudentiae. Si quid sentiam,  
scire cupis, dico, secundum modum plus  
sapere prudentiae humanae, primum plus  
pietatis, ac simplicitatis. Scio tamen cum S.  
Job. c. 10. Dei non esse oculos carneos, nec  
sicut videt homo, illum videre. Ita ille.

**Q.** Utrum Indulgentia Portiunculae  
tempore Jubilaei suspendatur, vel  
faltem suspendi possit, & quid  
de tali suspensione senserit S. Bri-  
gitta in Revel. extravag. cap. 90?

**R.** PRimum membrum quæsti hujus  
movet, & resolvit R.P. Bertran-  
dus Lotb Sac. Ord. Prædicatorum Ss.  
Theologiæ Doctor in Resol. Theolog.  
Tract. 21. de Jubilæo. a. 6. ubi inquit:  
Petes, quid censendum de Indulgentia  
Portiunculae, quam Christus concepsit S.  
Francisco? & respondet: non censi-  
su-

suspensam tempore *Jubilæi*; quod probat primò ratione congruentali; quia non decet Indulgentiam à Deo immediatè concessam à Pontifice revocari, vel suspendi; quia non potest ambigi de sufficientia causæ, nec de plena potestate dantis. Secundò ex tenore Bullarum *Jubilæi*; quia Pontifices suspendunt per hujusmodi Bullas omnes Indulgencias per se, vel Antecessores suos concessas, illa autem non est per Pontificem aliquem concessa, sed à Deo immediatè, confirmata tamen à Papa. Intacta igitur manet Annô Sancto Indulgentia Portiunculæ cæteris etiam solemnioribus cessantibus, id, quod manifestum est ex plurium Romanorum Pontificum Diplomatibus Urbani VIII. Cum nuper ob Sacri *Jubilæi* die 31. Julii 1624. Innocentii X. Cum ob sacri. 5. Julii 1650. Innocentii XIII. Cum ob sacri *Jubilæi* 21. Augusti 1699. ubi suspensis aliis Indulgentiis de Portiuncula haec formalia habent nos cupientes, ut Ecclesia S. Mariæ Angelorum congruis frequentetur honoribus, ad

eam-

eamque Christi Fideles libenter accedant, tenore præsentium declaramus, mentis, & intentionis nostræ minimè fuisse, nec esse sub præfata Indulgentiarum suspensione Indulgentiam utriusque sexus Christi Fidelibus prædictam Ecclesiam die 2. mensis Augusti à primis Vesperis usque ad occasum solis die hujusmodi visitantibus, & requisita pro eadem Indulgentia consequenda per agentibus concessam comprehendere, prout minimè comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis attestamur. Idem disposuit Benedictus XIII. Annô Jubilæi  
1725.

Quia tamen Pontifex ut Christi Vicarius illimitatam in Ecclesia Dei habet potestatem, nec Indulgentiam Portiunculæ Christus absolutè concessit, sed cum dependentia ad Papam, nihil vetat, ne hic eam suspendere possit intervenientibus gravibus causis, & motivis, ut dum grassantur pestilentia, fames, bella &c. Ipse enim, ut bonus Pastor oves sibi commissas conservare, nec morti exponere debet, quod facile eveniret,

si in acerbis hujusmodi casibus populo-  
rum undique ad hanc Indulgentiam lu-  
crandam concurrentium congregationē  
non impediret. Unde cùm anno 1743.  
dira pestis Messinam, & Regnum Nea-  
politanum infecerit, *Portiunculæ* Indul-  
gentia ex Decreto Benedicti XIV. fuit  
suspensa, quæ durante eadem causā ite-  
rum sequenti anno 1744. suspensa re-  
mansit. Idem hic Pontifex 1750. ve-  
hementer desiderans, plures Fideles  
Romam ad Christiani Orbis Matrem  
deducere, Indulgentiam *Portiunculæ*  
pro vivis suspendit, poterat tamen ap-  
plicari in suffragium animarum in Pur-  
gatorio degentium. Hinc est, quod  
S. Briggæ loc. cit. quærenti: *Numquid  
Domine mi, Successor revocare debet, quod  
tu omnis potentiae, & gratiae infusor dedi-  
disti?* responderit Christus: *fixum est, quod  
dixi Petro, & ejus Successoribus, quod-  
cunque ligaveris, ligatum est.* Verumtamen  
propter malitias hominum multa dona sub-  
trahuntur, & propter fidem, & merita  
gratia donata augetur.

Q. In quo pretio sit Indulgentia  
*Portiunculæ* apud homines?

R. TANTAM plerique de ea fidem, &  
æstimationem habent, præser-  
tim in Hispania teste Waddingo ad A.  
C. 1223. n. 10. ut infelicem, & christia-  
no nomine indignum reputent eum, qui  
hanc lucrari non satagit. Sanè habe-  
mus duabus diebus etiam in his parti-  
bus, quod agamus Confessarii, dum  
vix aliquem est reperire, qui cœlesti,  
& magno hoc remedio nollet de cœno  
vitiorum resurgere, suorumque pecca-  
torum fôrdes abstergi. Imò qui tam  
perditæ sunt vitæ, ut præceptum Ec-  
clesiasticum de annua Confessione, &  
Paschali Communione negligere non ve-  
rentur, non tamen præsumunt fortuna-  
tissimam hanc diem cum jactura tanti  
boni præterire.

Q. Quomodo inchoetur Assisi quo-  
tannis hæc devotio?

R. Circa horam tertiam pomeridiam secundum nostrum horologium conveniunt omnes D. Francisci Sectatores Reformati, Observantes, Capucini, & Tertiarii in Civitate Assisiensi in Aede Patriarchali RR.PP. Conventualium, cum quibus reverenter adorato S. Patris Francisci corpore omnes descendunt Religioso more processionaliter universo hominum cætu per campos, & compita gravissimum, & devotissimum conspiciente spectaculum ad Ecclesiam Portunculae in Valle Spoletana locum Indulgentiæ. Præfertur Prima Crux Patriarchalis, quam sequuntur Patres Reformati, dein Patres Observantes, post quos portatur secunda Crux Patriarchalis post quam pergunt Fratres Clerici, & Laici Patrum Minoritarum, deinde Patres Capucini, tandem Sacerdotes Conventuales cum Reverendissimo Patre Custode sa-

cri Conventūs , latera stipant 200. Milites, centum *Perusini* , centum *Affisienſes* , ut homines in ordinem cogant , & turbæ insolentias in tanta multitudine compescant. Dum ad Ecclesiam pervenitur , ad cantum versiculi ex hymno ad Laudes in festo S. Petri ad vincula : *Beate Pastor Petre criminum vincula verbo resolve , cui potestas tradita aperire terris Cælum :* Reverendissimus Pater Custos cum cruce Patriarchali terna vice pulsat januam Ecclesiæ , modò , quô apud nos Dominicâ in Palmis fieri consuevit , ubi ad tertium pulsum aperiunt portam Ecclesiæ Patres *Observantes* , interius expectantes , apertâ januâ ingrediuntur Religiosi omnes , quos subsequitur populus univerfus continuò devotissimè inclamans : *Viva la Madonna Santissima Madre di Dio : Viva San Francesco.*

Q. Quare Religiosi sacri Conventūs Affisienſis duas in hac , & ali-

is

is publicis supplicationibus Cru-  
ces deferant.

**R.** **H**Ac ratione ; quia singulari Di-  
plomate Basilica S. Patris à fun-  
datione sua soli Romano Pontifici sub-  
jecta fuit. Modò autem , quia Bene-  
dictus XIV. immortalis memoriæ Pon-  
tifex ferventissima pietate erga Seraphi-  
cum Patrem S. Franciscum accensus Ba-  
silicam sub ejus nomine dicatam ad fu-  
prenum gloriæ, & honoris culmen ex-  
tollere dignatus est , eam *Patriarchalem*,  
& *Capellam Papalem* instituendo , ut vi-  
dere est in celeberrima , & solemnissima  
Bulla, quæ incipit : *Fidelis Dominus in*  
*verbis suis &c.* Patres sacri Conventūs  
Assisiensis jus alteram crucem deferen-  
di consecuti sunt. In tanti beneficii me-  
moriā sequens apposita est inscri-  
ptio ante fores Ecclesiæ à  
parte sinistra.

D. O. M.  
BENEDICTUS XIV. PON-  
TIFEX MAXIMUS  
BASILICAM

GLORIOSO BEATI FRANCISCI SE-  
PULCHRO ILLUSTREM, ET AMPLIS-  
SIMIS HONORIBUS, AC PRI-  
VILEGIIS.

ORNATAM  
IN POTESTATEM, DITIONEMQUE  
APOSTOLICÆ SEDIS

A

FUNDATIONE SUSCEPTAM

Ordinis Minorum Caput, & Ma-  
trem Titulô Patriarchalis, & Ca-  
pellæ Papalis

AUXIT VIII. KAL. APRILIS  
A. D. M. DCCLIV.

Q.

**Q.** Quantus sit concursus Assisii pro  
hac Indulgentia lucranda ?

**R.** Tam frequens , & copiosus est  
pro ea obtainenda ex omnibus  
Christiani Orbis partibus , & Regioni-  
bus Assisium Peregrinorum confluxus ,  
ut saepissimè numerus eorum ad sexa-  
ginta millia , imò non raro ad centum  
viginti millia ( id , quod ex veridica  
relatione Reverendi Patris Joannis Chry-  
sostomi *Misael* Minoritæ ex Provincia  
Bohemiarum , sed ibidem 4. annis Pœni-  
tentiarii habeo ) ascendat : nec sufficiat  
eis pro duarum dierum hospitio Civitas ,  
sed sub tentoriis degant in campo , ne-  
que edulia illuc è vicinis pagis , &  
oppidis in magna copia comportata  
quidquam sint inter tantos , nec suffi-  
cienter patent ipsius Ecclesiæ portæ con-  
glomeratim , & stipatim ingredientibus  
Sacrum Delubrum , brachiis in altum  
erectis , ne à comprimentibus offendan-  
tur ; adeò enim inter se stringuntur ,

urgentibūs, & certantibūs omnibus intra-  
re, ut quotannis aliqui sint, qui inter  
comprimentes expirent: alii in äera fe-  
rantur, nec pedibūs terram pertingant,  
donec iterum in apertum campum re-  
grediantur. Accidit hæc pressura, quod  
multi *secundo*, *tertiò* &c. Indulgentiam  
velint lucrari pro se, & iis, qui ex  
hac vita decesserunt, quorum anima-  
bus è pœnis liberandis hac ratione con-  
sultum iri crebra miracula, & myste-  
riosæ visiones certius comprobârunt.

## P A R S II.

D E

*Sacro Monte Alverniæ, & Ejus-  
dem Sanctuariis.*

**Q.** Quis sit situs, forma, figura  
Montis, in quo Divus Franci-  
scus Sacra Stigmata recepit?

**M**ons iste in statu Florentino sub di-  
tione Magni Ducis Hetruriæ su-  
per ardua nivosi Apennini juga confur-  
git,

git, cæteros montes altitudine superans, vallique *Casentinae* incumbens. Totus quidem lapideus est, valdè tamen pulcher, & amoenus, cuius circumferentia in summitate ad tria milliaria italica sese extendens virentibus pratis, fagis frondosis, & abjectibus sublimibus adornatur, radicesque ejus à quatuor fluviis alluuntur, ab Oriente *Tiberi*, ab Occidente *Arno'*, à Septemtrione *Cossolona*, & à Meridie *Raffina*. In toto hoc spatio notantur duodecim monticuli propriis vallibus circumdati juxta numerum duodecim Apostolorum Christi, cuius Passio in hoc monte renovanda erat: hæc varietas in æstate, & vere jucundissimum generat prospectum.

Q, Quomodo Rodulphus hunc Sraphicum Montem depingat?

**R.** **H**oc modo eum prænominatus Historicus lib. 2. describit - - - Locus sanè inhospes, & horridus, quem sibi elegit B. Franciscus, ut in secretis-

fima illa solitudine habitaret cum Deo,  
& assiduæ contemplationi Passionis Je-  
su Christi attentiùs intenderet. Ibi ap-  
parent impenetrabiles cavernæ , abru-  
pti, & suspensi lapides , ibi sunt itine-  
ra sola æstate calcanda , cùm sol omnes  
ebibit humores ; pluviali tempore loca  
dixeris inaccessa. Undique rupes in  
baratra pergunt profundissima , quæ  
horrorem incutiunt. Exinde superatō  
jugō per insigne Cœnobium extructum  
est , in quo mansiones plurimæ sunt.  
Omnia officinarum genera , & dormi-  
torium in quadro positum. Nihil in  
hoc Conventu non religiosum , nihil  
non nitidum , ut quisque mortalium se  
ex improviso magna cordis compuncti-  
one commovere præsentiat , locus enim  
ipse pio quodam , & divino ardore ani-  
mas ad beatè vivendum , ad relinquen-  
das mundi hujus fôrdes incredibili mo-  
dô excitat.



**Q.** Quæ sint Nomina hujus Seraphici Montis?

**R.** **V**aria tam in sacris, quam profanis historiis fortitetur nomina, conformiter ad ea, quæ diversis temporibus ibi acciderunt. I. Appellatur nova Bersabee, quæ interpretatur puteus juramenti, sive locus plenus aquâ, unde, ut patet ex Gen. cap. 21. cognitio Dei per totum mundum diffusa est: *Abraham vero, ait sacer textus, plantavit nemus in Bersabee, & invocavit nomen Domini Dei Æterni.* Et Franciscus portando Sacra Stigmata orta ex vera sylva, horto, & arbore Christo, cuius flores illius sunt cicatrices, honorem nominis Jesu per mundum universum propagavit. II. Dicitur nova *Jerusalem*, vel nova *Calvaria* ratione Passionis Christi hoc loco in Francisco renovatae, quo sensu locutus est Sixtus IV. Montaltus Cardinalis, & Rodulphus inquiens: *Mons ille est velut altera Jerusalem.* III. Nominatur ab Alexandro IV. confide-

rante immensa hujus sacri loci prodigia, *Vernia*, quasi amoenum, & floridum Ver, non solùm foliis, & floribus, sed & supernis gratiis, & favoribus. IV Vocatur à Plutarcho, Sabellico, Horatio epis. 1. ad Quintium, & Joanne Baptista Mantuano Fast. 5. *Laverna* propter Templum Deæ *Lavernæ* ibidem olim extructum, & tempore superstitionis gentilitatis à latronibus teste Ausonio in magna habitum veneratione: inde est vulgatum illud: *Pulchra Laverna da mibi fallere.* Scribit Franciscus Maurus lib. 2. Francisciados, raptores, prædones, sicarios in *Laverna* monte sub patrocinio falsæ hujus Deæ aliquando frequentes consedisse, finitimus, & viatoribus infestos, quibus de altissimo monte prospectus ad omnes vias patebat. V. Nuncupatur à D. Bonaventura, Pallid. Virg. lib. 7. de inventione rerum, & Martyrologio Romano *Alvernia* ob loci horrorem, & asperitatem.

**Q.** A quibus Religiosis ex S. Ordine Minorum inhabitetur hodie Mons iste venerandus?

**R.** Patres *Conventuales* incoluerunt eum usque ad A. C. 1430. quo sollicitante Francisco *Cataneo* legitimo successore Illustrissimi Comitis *Orlandi* (qui nostris, ut statim videbitur, hunc locum gratiosè donavit) & ultimi ex ejus linea, Sedente Martino V. ad PP. *Observantes* rediit, donec A.C. 1431. ad instantiam Florentinæ Reipublicæ, & Cosmæ Medices Magni Hetruriæ Ducis sub Eugenio IV. iterum Patribus *Observantibus* extraditus est, qui à circumjacentis Patriæ hominibus ob amicitiam, quâ Patribus *Minoritis* juncti erant, plures molestias sunt perpetrati, usque dum eorum protectio, cura, ac defensio ab eodem Summo Pontifice Eugenio IV. Florentino Senatus commissa fuisset, qui eam ex animo acceptans illius executionem Lanificum Consulibus (uti appellabantur) demandavit, Hi verò insignibus tum præme-

memorati Pontificis Eugenii, tum Florentini Senatus, tum proprii officii Monasterii foribus affixis concreditos sibi Religiosos ab omni prorsus vexatione, ac humana molestia immunes reddiderunt. Tandem A.C. 1625. mense Novembri à Summo Pontifice Urbano VIII. Conventus iste datus est Patribus Reformatis, & ex mandato ejusdem Pontificis primus Guardianus Reverendus Pater *Alexander à Borga* à Reverendissimo Patre Generali Ministro *Bernardino à Genis* ibidem institutus.

**Q.** A quo, & qua occasione acquisiverit hunc Sacrum Montem S. Franciscus?

**R.** **I**ngenti Franciscus æstuans martyrii desiderio per Hispanias versus Marochium A. C. 1213. iter est aggressus, ut sanguinis sui profusione doctrinam Evangelicam confirmaret. Postquam cum Fratribus Massæo, Leone, & Angelo Reatino cœptum prosequens iter

iter ad arcem pervenit S. Leonis , ubi  
nuptiae celebrabantur Comitis hujus Ca-  
stri , qui cum illustrissimo Comite Orlando  
Cataneo erat consanguinitate junctus , au-  
dito tubarum clangore , & tympanorum  
sonitu ait ad socios : Eamus , & nostras  
opponamus arces dæmonis insidiis , quas in  
ejusmodi jubilationibus sternere solet incautis .  
Unde post sacrum solemne , cui omnes  
hospites intererant , eos Franciscus in  
editiori loco ferventi detinuit sermone ,  
proposito Themate : Tam ingens est bo-  
num , quod spero , ut omnis pæna me dele-  
ctet . Absoluta concione Comes Orlan-  
dus longum cum viro Seraphico initit  
discursum de animæ suæ salute , in quo  
mirificè fuit spiritualiter recreatus , ob-  
tulitque ei sponte Montem Alverniæ , cu-  
jus erat Dominus . Terminatò nuptia-  
rum spectaculò , progrediente Sancto Pa-  
tre ad partes Infidelium , duo , viri San-  
cti , socii montem undique lustraturi con-  
scenderunt , quibus se ipsem et Comes  
Orlandus comitem junxit 50. militibüs  
stipatus , & inventa planicie ædificandæ  
do-

domunculæ idonea mox milites excisis  
ē nemore ramis sufficiens efformârunt  
tuguriolum, quod inhabitandum in  
pacificam possessionem publicō desuper  
confectō instrumentō adhuc in Conven-  
tūs hujus cartophylacio asservato Fra-  
tribus nostris solemniter tradidit.

Q. Qualiter fuerit D. Franciscus in  
primo ad montem *Alverniæ* ac-  
cessu ab Aviculis salutatus?

R. **R**educem ex Hispaniis A. C. 1216.  
Seraphicum Patrem, multi Fra-  
tres Assisi apud S. Mariam Angelorum  
reverenter inviserunt: inter alios ade-  
rant duo illi Fratres, qui Sacri Montis  
possessionem acceperant, informârunt-  
que Sanctum Parentem, loci hujus di-  
spositionem contemplationi esse per-  
portunam; unde S. Franciscus, ut ipse-  
met videret locum, cum his duobus,  
ac aliis tribus discipulis suis Angelo,  
Leone, Massæo perexit ad Montem:  
jugum *Alverniæ* superantibus, & sub-  
um-

umbra cuiusdam quercūs quiescentibus plurimæ diversarum specierum aviculæ applaudunt, ubi aliis capiti, aliis scapulis, aliis genibus S. Francisci indentibūs, miro alarum motu blandientibūs, suavi concentu adventui ejus gratulantibūs, & quasi ad moram invitantibūs dixit ad socios: *Video Fratres mei voluntatis esse Divinæ, ut hic incolatum capiamus, tantum sorores aviculæ de nostra videntur præsentia gratulari.*

**Q.** A quo fuerit hic prima Ecclesia ædificata, quando, & à quo consecrata?

**R.** EXPERTUS personaliter S. Franciscus Alverniæ Montem vitæ solitariæ, & contemplationi aptum, ingens concepit desiderium, ut in eo Ecclesia ædificaretur, ubi Fratres Laudes divinas persolvere valerent: dum igitur noctu in vigilia Nativitatis B. Virginis Mariæ in sua Cella in oratione perlistebat, apparuit ei Angelus dicens: *Fran-*

*cifce vade cito ad Oratorium Fratrum (quod  
ibi erat, ubi nunc est Ecclesia) ibi enim  
te Mater Dei expectat: abiit statim Fran-  
ciscus ad locum sibi ab Angelo desi-  
gnatum, ubi gloriosissimam Cœlorum  
Reginam suprà altare in lucida, & re-  
splendente nube cum SS. Joanne Bapti-  
sta, & Evangelista, ac ingenti supe-  
norum Spirituum multitudine invenit, à  
qua formam, secundùm quam exstru-  
enda erat parva Ecclesia in honorem  
ejusdem S. Mariæ de Angelis, est edo-  
ctus. Sequenti itaque die advocavit Se-  
raphicus Pater Comitem *Orlandum*, cui  
nocturnam fideliter exposuit visionem,  
humiliter rogando, ut Ecclesiam juxta  
instructionem à Dei Matre acceptam fa-  
ceret ædificari, id, quod pius *Orlan-*  
*dus* promptissimò animò est executus,  
inchoatùmque ædificium A.C. 1216. fe-  
liciter perfectum est A.C. 1218. non ob-  
stante gravissima malignorum spirituum  
resistentia, qui sœpè excitata horribili  
tempestate, opus tam sanctum impedire  
nitezabantur, continuò destruendo, quod  
erat*

erat ædificatum. Hanc Ecclesiolam ipsemet S. Franciscus dicavit S. Mariæ de Angelis, ponendo Crucifixum ad ad Aram majorem, qui hodie in medio Ecclesiæ Fidelium adorationi prostat: & in hac sacra Æde jacet Comes *Orlandus* in habitu Franciscano sepultus.

Neverò hæc Ecclesiain aliquo Affiliati S. Mariæ de Angelis cederet, sed ejusdem esset æstimationis, ac authoritatis, voluit eam Alexander IV. A. C. 1256. die 20. Augusti à septem Episcopis Aretino, Urbinate, Florentino, Affiliate, Perusino, Tifernate, ac Fesulano solemni ritu consecrari, qui etiam post Ecclesiæ consecratam præsente S. Bonaventura totius Sacri Ordinis nostri Ministro Generali universum in gyro montem equitando benedixerunt.

**Q.** Quid memoratu dignum acciderit in hac Mariana Ecclesiola?

**R.** In maxima veneratione semper habebatur hæc sacra Ædicula; quia fuit cœlestibūs apparitionibūs significata, &

à pluribus Sanctis frequentata. In ea se visibilem præbuit Cœlorum Regina. In ea Seraphicus Pater frequenter orabat, corpusque suum flagellabat, ut defluo sanguine pavimentum respergetur. In ea alii plures ex sacro nostro Seraphico Ordine suas ad Deum fundebant preces, S. Antonius Paduanus, S. Ludovicus Episcopus, S. Bonaventura, S. Didacus, S. Bernardinus Senensis, & Feltrensis, S. Joannes Capistranus, SS. Proto-Martyres Berardus, Petrus, Accursius, Adjutus, & Otho, qui inde Marochium pro consequenda Martyrii corona abiérunt.

**Q.** Quid in hac Aedicula evenerit  
Beato Joanni ab Alvernia?

**R.** **B**eatus iste Pater in profecto S. Laurentii (quem impensiùs colebat) cum in vesperis illa caneretur Antiphona: *Adhæsit anima mea post te,* & gloriofissimi Martyris passionem altius contemplaretur, vidit ipsum in craticula subiectis

jectis pruniſ jacentem , & S. Martyris  
cœleſtem mentis ardorem. Vidiſ dein  
Divum Laurentium ſuavifſimo aspectu  
in ſe oculos vertentem , ex quo ſtatim  
immensō repletus gaudiō in mentis ex-  
ceſſum aētus ita immobiſ hæſit uſque  
ad horam Completorii , quō finitō ad  
cantum: *Salve Regina*, idem S. Lauren-  
tiuſ Martyr ſuper Altare majuſ totuſ  
lætus , & jucunduſ Inſigne Paſſionis dex-  
terā tenenſ apparuit dicens: *Ioannes ve-  
lis quæque adverſa libenter pro Christo pati;  
quia ego per igneam craticulam immensaſ  
gratias , & favores conſecutus ſum in cæliſ.*  
In ſolemnitate Dediſationi Beati Mi-  
chaēli Archangeli deſcendit ē ſua cella  
in Eccleſiam , ut cum Fratribus illa no-  
cte Laudes decantaret matutinas. Qui-  
būſ perſolutiſ perſtitit in meditatione  
Curiæ cœleſtis , & gloriæ Angelorum.  
In cellam regredienti ad Eccleſiæ oſti-  
um occurrit Cythareduſ non viſu , ſed  
ſono , & hominem ad melodiā obſtu-  
pentem comitatus eſt uſque ad cellam  
ſemper pſallens , variouſque emittens fo-

nos, & chori cœlestis gloriam repræsentans. Cum idem hoc loco in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum summo charitatis affectu Sanctum offerens Missæ Sacrificium pro animabus Purgatorii Sacratissimum Christi Corpus elevaret, miraque dulcedine pietatis, & fraternæ dilectionis Deo Patri exhiberet, ut pro amore Unigeniti Filii, qui in Cruce pependit, animas misellas ab ipso creatas, & redemptas ē Purgatorii carcere misericorditer liberaret, vidi innumeras quasi ex ignita fornace prodeentes in cœlum ascendere, & gratias pro tanto beneficio rependere.

Q. A quo fuerit hæc Ecclesiola Altaribus exornata?

R. **F**ratres nostri hanc sacram Ædem devotissimo Dominico Cartoli exornandam tradiderunt, ea tamen lege, & conditione, ut principales, & capitales muros intactos relinqueret, & ne quid ejus formæ immutaret, nève quid ac-

accrementi acciperet, timebant quippe, ne & ipsi malè perirent, prout tres sibi mutuò succedentes PP. Guardiani, qui eam ampliare, ac in aliam formam ab ea, quæ à Gloriosa Virgine, & Sanctis Joanne Baptista, & Evangelista Seraphico Patri ostensa fuit, transferre attentassent, malè perierunt. Vestigia fundamentorum, quæ dicti PP. Guardiani jecerant, paucis abhinc annis adhuc ex parte aream respiciente videri poterant. Præfatus ergo Dominicus *Cartoli Civis Florentinus* tria lignea altaria A.C. 1486 in ista posuit Ecclesia. Chorus ligneus fabricatus fuit à nostris Religiosis A. C. 1465. Adhærentem huic Ecclesiæ turrim campanariam, quæ & moderno Templo, de quo postea, deservit, idem Dominicus sumptis lapidibūs ex arce Comitis *Orlandi*, à fundamentis erexit, & A. C. 1490. absolvit. Majorem campanam, quæ ad Comitem *Orlandum* pertinuerat, Serenissimus Laurentinus Medices Leonis X. Pontificis Maximi Pater, huc illo ipso anno, quō turris perfecta est,

transferendam curavit. Alteram campanam fundi curavit S. Bonaventura actuallis Generalis Minister, quam supra fagum à diametro turris sitam, appensam fuisse traditio fert, quæ fagus vulgo S. Bonaventuræ dicebatur, & in magna habebatur veneratione, quæ tamen jam aruit, nec ullum amplius ejus apparet vestigium. Tertia tandem campana A. C. 1490. ex plurimum Fidelium eleemosynis conflata fuit.

**Q.** A quo fuerit moderna magnifica Ecclesia ædificata?

**R.** Crescente Fratrum numero, & populorum devotione, cum antiquior Ecclesia nimium esset angusta, & ampliori Peregrinorum numero capiendo impar, Illustrissimi pariter, ac pi- entissimi Heroes Tarlatus Petremallæ Comes, ejusque legitima uxor S. Flora Comitissa Tertiæ Ordinis S. Francisci aliam multò capaciorem, multòque elegantiorem sub gloriosæ Virginis tutela-

la suis sumptibūs à fundamentis erigendam curārunt , id, quod sequentes litteræ fornici principalioris ejus portæ inscriptæ apertè innunut.

*Anno Domini 1448. Nobilis miles Dominus Tarlatus de Petramalla, & Domina Joanna Comitissa de Sancta Flora uxor ejus ædificari fecerunt istam Ecclesiam ad bonorem B. Mariæ semper Virginis.*

Sed cùm immatura morte præventi, quod piè , & sanctè proposuerant , ad effectum deducere minimè potuissent , suis hæredibus , ut mille aureos coronatos ad ejus perfectionem , ac viginti quinque singulis annis in Festo B. Patris Francisci ad Fratres induendos penderent, in testamento disposuerunt. Quibus nihilominus piis Parentum votis minimè annuentibūs, Lanificum Consules, de quibus suprà , eam partim ære proprio, partim corrogatis piorum Fidelium eleemosynis A. C. 1497. feliciter absolverunt.

Q. Quis Altarium , & Capellarum in hac Ecclesia sit Fundator ?

R. PRimam Aram S. Francisci à dextris fieri curavit A.C. 1588. Dominus Joannes *Nicolini* Marchio : alteram à sinistris gloriosæ Virginis in Cœlos Assumptæ Dominus Christophorus à *Lappula* A.C. 1604. quædein per Iconum transmutationem Divo Antonio Patavino à Fratribus dicata fuit. Capella Nativitatis ædificata fuit A.C. 1484. à Jacobo Brizzio ex Parochia S. Stephani. Altera Annuntiatæ iterum à Domino *Nicolini*. Aram Ascensionis Domini extruxerunt A. C. 1601. Domini Rodulphi nobiles Florentini. Ecclesiam istam consecravit Franciscus Salazar Episcopus Salaminæ A. C. 1588. Ædificium Capellæ Sacrarum Reliquiarum terminatum fuit A. C. 1635. sub Guardianatu Patris Innocentii à *Cruce* sumptibüs Domini Philippi *Nicolini*. Tandem altera Capella prio-

priori à diametro opposita ære Domini  
Octaviani Ducis de Talla.

**Q.** Quæ Sacrosanctæ Reliquiæ hic  
sint in veneratione ?

**R.** In Ecclesia.

**I**N primo Depositorio. Asservatur ca-  
put cum brachiis Beati Mariani à  
Lugo : sacra ossa duarum sociarum  
S. Ursulæ: & brachia Beati Joannis ab  
Alvernia.

In secundo Depositorio. In media  
capsula est reliquum corpus Beati Ma-  
riani à Lugo : in aliis duabus capsulis  
residuum corpus Beati Joannis ab  
Alvernia.

In tertio Depositorio. In magno  
Reliquario ex cupro continentur se-  
quentes Reliquiæ: nempe ex linteo ,  
quo Christus Dominus adhuc infantulus  
involutus fuit: ex purpureo ejusdem  
vestimento: ex columna, ad quam al-  
ligatus pro nobis flagellari voluit : ex  
ejusdem sepulchro: ex pelvi , in qua  
Di-

Discipulorum pedes lavit: ex crinibus,  
& lacte Beatæ Virginis Mariæ: ex cri-  
nibus S. Joannis Evangelistæ: ex crini-  
bus, & sanguine S. Patris Francisci: ex  
osſibus S. Joannis Baptiste: ex osſibus  
SS. Apostolorum Petri, & Pauli: dens  
unus S. Thomæ Apostoli. In uno va-  
sculorum ex parte Evangelii una spina  
ex corona nostri Redemptoris: in alte-  
ro particulæ habitūs, & tunicæ S. Fran-  
cisci: in binis cistulis recluduntur osſa  
S. Emerentianæ Virginis, & Martyris,  
& pars Pastoralis S. Thomæ Cantuari-  
ensis.

In quarto Depositorio. In Reliqui-  
ario figuræ pyramidalis est chryſtalinus  
cyathus, ex quo S. Franciscus in mensa  
Comitis *Orlandi* bibere solebat: pars  
chordæ, & pallii S. Ludovici Episcopi.  
Subtus est ſcutella lignea cum particu-  
lis panis, ex qua in arce Comitis *Orlan-*di** S. Franciscus panem intinctum fu-  
mebat. In vase ſuprà argenteam sta-  
tuam A. C. 1679. huic loco ab Illuſtriſ-  
fimo Domino Marchione nobili de Mon-

te

te Policiano donatam, est una crucula ex illa fago, ad cuius pedem erat foramellum plenum aquâ, in qua S. Franciscus manus stigmatizatas lavabat. In alio vitreo vase custoditur mappa, quâ mensa tegebatur, dum S. Franciscus cum Comite *Orlando* manducabat, quæ si explicatur, hodieum suavissimum spirat odorem. Intra mensam autem hanc sunt omnia Sanctuaria Jerosolymitana. In binis cistulis reconduntur ossa S. Paulinæ Virginis, & Martyris.

In quinto Depositorio. In duabus cistulis extat crux major ex ligno Montis Oliveti, ubi oravit Christus, cum crucula ex illa fago, ex qua visa fuit Beatissima Virgo benedicere Fratres processionaliter ad Sacellum Sacrorum Stigmatum contendentes. In mensula est epistola quædam scripta propria manu à S. Bernardino Senensi. In vase vitreo reperitur Agnus Dei Innocentii XI. In altero vase ligneo Agnus Dei S. Pii V. In tertio vase cilicium S. Patris Francisci. Item crucula (cujus pes ex lapi-  
de

de porphyrio ) cum sua figura ex arbo-  
re fici S. Petri de Alcantara. Intra ta-  
bernaculum deauratum est vera effigies  
Domini nostri Jesu Christi, de qua hoc  
refertur :

Cùm Rex Abagarus maximò tene-  
retur desideriò videndi Dominum no-  
strum Jesum Christum ejusdem auditò  
miraculis, nec personaliter ob infirmi-  
tatem, quâ laborabat, eum adire valeret,  
piissimus Redemptor sacram, gloriosam-  
que faciem suam velo impressam ad  
eum misit, quæ in Regis cubiculum il-  
lata, statim omnem undequaque locum  
inuisitata luce replevit, ipsumque Re-  
gem aspectu suo in morbo mirum in  
modum recreavit. Hæc effigies asservav-  
tur Viennæ in Galleria Imperatoris, a-  
pud quem, dum Eminentissimus Do-  
minus Cardinalis Delci nuncium Summi  
Pontificis egisset, contractâ cum Impe-  
ratoris Secretario notitiâ obtinuit ab eo  
præfatæ Iconis copiam, qualem præme-  
moratus Cardinalis suo donavit Secreta-  
rio, hic verò A. C. 1685. huic obtulit  
Ec-

Ecclesiæ, quæ tandem A. C. 1691. pro majori veneratione intra tabernaculum reposita fuit.

Infra altare est Corpus S. Pontiani Martyris, quod A.C. 1647. Illustrissimus Dominus Marchio Philippus Nicolini donavit. In almaribus lateralibus sunt 7. Reliquiaria argentea à diversis Benefactoribus facta ad preces Reverendissimi Patris Joannis Cosmæ à Monte Miniano, in quibus recluduntur insignes Reliquiæ sanctissimæ Virginis, & principalium Religionis Sanctorum. In aliis Reliquariis partim ex hebeno, partim ex ligno deaurato fabrefactis sunt multæ Reliquiæ SS. Martyrum, Virginum, & Confessorum donatae huic Ecclesiæ à Dominis Florentinis.

### *In Sacristia.*

In cruce Chrystallina sunt tres cruculæ ex ligno, in quo Salvator mundi peperit; cor aureum ad prædictam crucem appensum obtulit ex devotione

quæ-

quædam Domina Florentina. In cistula est cingulum Comitis *Orlandi*, quō aliquando B. Franciscus præcinctus, & dein iste Comes per id à doloribus liberatus fuit. In tribus majoribus cistis sunt habitus B. Joannis ab Alvernia, B. Conradi Offidani, & B. Eleutherii. In medio est cor Patris Bartholomæi à Salustio cum suo cilicio, & una cruce argentea plena diversis Reliquiis, & tria alba vitrea vascula plena variorum Sanctorum ossibūs.

In duobus Reliquiariis sunt sequentia ossa: S. Sabinae Virginis, & Martyris: S. Hilariani Martyris: S. Leodii Martyris: S. Secundi Martyris: S. Viti Martyris: S. Urbani Martyris: S. Crispinæ Virginis, & Martyris: S. Exuperantiæ Martyris: S. Vitalis Martyris, S. Germani Martyris: S. Getuliæ Martyris: S. Demetrii Martyris. Has Reliquias donavit Dominus Franciscus *Fabri* à S. Petro asserens, se earum Authenticam perdidisse. In vasis vitreis sunt Chirothecæ S. Petronii Archiepisco-

pi Bononienfis : Cilicum B. Alberti à Sartiano : chorda B. Joannis ab Alvernia , chorda Venerabilis Fratris Philippi à Castilione: chorda Venerabilis Fratris Balthasaris à Chiavari : stropholum , & chorda S. Bernardini Senensis: ex veste B. Catharinæ Bononienfis. In decem Reliquiariis sunt ossa diversorum Sanctorum.

In Reliquiario argenteo facto in forma Ostensorii est peciola tincta sanguine S. Patris Francisci cum particula ejusdem habitūs : item ex ossibus S. Patris Dominici, quæ omnia Cosmas III. magnus Dux Hetruriæ donō dedit.

**Q.** Quale , & à quo Cœnobium in hoc Sacro Monte pro Fratrum habitatione extrectum fit ?

**R.** Antiquiores Fratres nostri nihil minus, quam ædificiorum mollem , ac superbiam curarunt , sanctissimam semper præ oculis habentes paupertatem ; idcirco pauperculis tugurio-

lis ex vili materia compactis erant contenti, quales, & primi Sacri Montis *Alverniæ* incolæ extitère, quibus humiliſcasula, vel ſtramine, vel arborum frondibūs contecta, vel excavata rupes habitatio fuit. Cùm autem Fratrum numerus indiès magis, magisque augeretur, nec ea vivendi forma, cùm iſte Mons frigidissimus eſſet, omnibus eſſet accommoda, maximâ tum Fratrum, tum præfatorum Consulum curâ, ac diligentiâ domus quædam pro majori parte lignea contra äeris, & frigoris inclem̄tiam ad communem Fratrum habitationem juxta modernam Ecclesiam vigesimô sextô annô à morte Seraphici Patris ædificata fuit.

Q. A quo poſt ſecutum incendium Fratres protecti, & à quo hic Conventus in meliorem formam redactus fuerit?

R. C um Illuſtrissimus, ac Reverendissimus Dominus Franciscus Piccelomineus Senarum Episcopus, & Cardi-

dinalis, postea Pius III. A. C. 1472. *Alverniæ Montem* devotionis causâ petere decrevisset, & aliquot famulos, qui necessaria pararent, præmisisset, eorum incuriâ Cœnobium flagrare cœpit, cùmque vorax flama, tertia ejus parte absumpta, etiam illi, cui universa tum Fratrum, tum prædicti Cardinalis supplex credita fuerat, minaretur incendium, genuflexi Fratres Divi Laurentii auxilium implorare cœperunt, se illi votô obstringentes, ut, si flama suppellectili, ac reliquiis adhuc restantibus parceret, ejus Commemoratio quotidie fieret ab ipsis. Emissô votô mox extinctus est ignis, & S. Laurentius ex medio ejus apparuit. Ab hoc tempore nullo die prætermisso fit à Fratribus Commemoratio S. Laurentii. Præfati verò Lanificum Consules nostrorum Religiosorum operâ ut plurimum adjuti constructis ex lapide muris, ut similem casum faciliùs præcavere possent, hujuscemodi damnum quantociùs reparandum curârunt.

**Q.** Quorumnam beneficentiâ huic  
Conventui alia commoda acceſſerint?

**R.** Infirmaria, ejusque Refectorium,  
Aromataria, & uterque Xystus  
liberalissimis Serenissimorum Hetruriæ  
Ducum Cosmæ Medices, ejusque uxo-  
ris Eleonoræ à Toleto sumptibûs A.C.  
1594. constructa sunt. Bibliotheca A.C.  
1557. diversis benefactorum eleemosy-  
nis erecta est. Comune Fratrum refe-  
ctorium, & superaedificatum dormito-  
rium Joannis cujusdam ab Antiqua, vul-  
gò, *Della vecchia*, Aretini Civis A.C. 1518.  
liberalitate huic loco accesserunt. Pul-  
cherrima cisterna, & aquarum capacif-  
sima, quæ A.C. 1518. fabricari cœpit,  
A.C. 1522. solerti Fratrum cura abso-  
luta fuit.

**Q.** Quæ fuerit prima in hoc Sacro  
Monte S. Francisci Cellula, &  
quæ hic ipsi cœlitùs promissa?

**R.**

¶. **D**uo illi Fratres, qui Montem *Alverniae* occuparunt, inter alia Oratoria, Cellam pro habitatione Seraphici Patris sub altissima fago ex lignis, terra, & arborum ramis efformarunt, quam dein *Orlandus* Comes ad preces Viri Sancti in meliorem formam rededit; hæc fuit prima S. Francisci domuncula.

Cùm in ea die quadam S. Franciscus ardentius oraret ad Dominum, apparet ei futuris post mortem suam temporibus plurimum sollicito Christus Jesus super mensam quamdam lapideam paululum à terra elevatam, in qua vir Sanctus comedere solebat, sequentia ipsi familiari colloquio revelans: *Scias Francise! institutum tuum ad finem mundi duraturum: nullum hujus Instituti persecutorem diu victurum: ejus vero fautores, et si in peccatis fuerint, tandem Dei gratia spiritum compunctionis, & donum remissionis obtenturos: ex Fratribus, qui pravè, & perdite vixerit, vel convertendos ejus mores, vel ipsum Ordini valedictrum.* Disparente Domino,

& Fratre Leone mensam sternere volente, prohibuit Franciscus, sed aquâ, viñô, oleô, & balsamô in memoriam & memoratorum Privilegiorum lavandam disposuit. Præter hanc alias quoque habuit Vir Dei super hoc lapide apparitiones, propter quas semper habitus est in magna veneratione. Pisanus lib. I. Conf. ipsum vocat *mensam S. Francisci*. Tres B. Patris socii *lapidem reprimissionis*. Ipse met Seraphicus Fundator *Aram Dei*. Hac ratione isti petræ scquentia verba incisa leguntur.

*Mensa B. Francisci, super quam habuit mirabiles apparitiones, sanctificansque ipsam effudit oleum desuper dicens: Hic est Ara Dei.*

Antiquissimus, sed imperitus Poëta 4. prærecensitas prærogativas Sacri Ordinis nostri his versibûs expressit:

Francisco fundente preces ( ut tempore multo

Mos inolevit ei ) Cœlestis Filius ipsum

Exultare jubet : annuncio quatuor, inquit, do-

Dona superna tibi, stabit tuus Ordo  
per ævum,  
Nullus ibi Frater, cui sit perversa  
voluntas,  
Stare diu poterit: vix Ordinis ho-  
stibus annos  
Vivere dimidios præstabitur, ejus  
amici  
Vivent, & vitam concludent fine  
beato.

**Q.** An exempla aliqua adferri pos-  
sint, Deum iis in extremis esse pro-  
pitium, qui Sacrum Ordinem Se-  
raphicum, ejusque Alumnos fa-  
voribūs prosequuntur?

**R.** **T**Alia duo exempla signata repe-  
riuntur apud Waddingum ad  
**A.C. 1281. num: 10. & 11.**

P R I M U M.

**D**Uo Fratres Parisienses, cùm aliò  
proficerentur, media hyeme sub  
prima noctis hora acceſſerunt fatigati

ex itinere, luto confpersi, & pluvia  
madefacti ad ostium cujusdam Equitis  
Fratribus infensi, qui à viginti annis  
suos reatus non curaverat confiteri. Al-  
loquentibus Matrem familias, illa re-  
spondit: *Nescio boni Patres, quid agam,*  
*si vos sub tecto admisero, timeo mariti mei*  
*vobis baud amici offendam: si crudeliter tem-*  
*pestuosa nocte dimisero, est, quod verear Dei*  
*indignationem. Ingredimini, & latebitis,*  
*donec vir meus ē venatione regressus ceno-*  
*verit; deinde vobis faciam occulte de rebus*  
*quibusque necessariis provideri.* Tum ad-  
venit maritus, & hilariter coenat; uxor  
verò cogitabunda tristatur ob Fratum  
inediam. Interrogat ille causam mœsti-  
tiæ. Respondit, se timere causam re-  
velare. Securè, spondet se mali nihil  
illaturum. Rem omnem illa narrat, &  
se timere Dei judicium subjungit, quod  
illius Servi fame, & frigore pereant,  
ipſi verò in deliciis luxurientur. Mi-  
tior factus iussit Patres ē latibulis evoca-  
ri, & charitativè tractari. Dum verò  
illi accedunt ad ignem, videt hospes  
fa-

facies macilentas , vestes madidas , pedes sanguine decurrente perfusos , facta manu Domini super eum , compunctus dolore cordis intrinsecus , ex leone mittis agnus evasit , propriis manibus eorum lavit pedes , mensam apposuit , letos præparavit , advectis recentibus paleis . Adhibitis charitatis officiis , Fratrem seniorem seorsim vocatum interrogavit , an effrons peccator , qui tot annis ritè non fuit confessus , veniam au-  
 fit à Domino sperare ? respondit ille : *Spera in Domino , & fac bonitatem , quia ipse faciet tecum secundum magnam misericordiam suam : ipse est , qui promisit : in qua- cunque hora ingemuerit peccator , omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ezechiel . 18. ¶ 22. At ille : nolim itaque ego Confessionis Sacramentum differre ; qua- re , si licet , hac nocte conscientiam ve- lim exonerare , ne contingat citius , quam velim , à me repeti animam meam . Nullum subesse mortis periculum cogi- tans Frater , rogavit , ut in crastinum Confessionem differret . Abierunt om-

nes cubitum , sed aliquantulum somno  
refocillatus Sacerdos secum cogitans de  
dilata propter suam culpam Confessio-  
ne , & de periculo , quod homo dixit  
potuisse imminere subitanæ , & impro-  
visæ mortis , totus tremens exsurrexit ,  
& in pavimento in faciem prostratus  
orabat , ne sua culpa miser ille periret ,  
sed saltem ad sequentem diem valeret .  
At facta visione conspexit jam hospitem  
defunctum , altercantes bonos , & ma-  
los Angelos circa ejus animam , & in  
statera librandorum operum præponde-  
râsse satis plurima mala paucis bonis :  
statim tamen defuncti Angelum Custo-  
dem dixisse : afferantur , & apponantur  
paleæ illæ , quas sternendis lectis paupe-  
rum Religiosorum ille jam compunctus  
hac nocte propriis manibûs , & humeris  
apportavit , addaturque sacræ Confes-  
sionis fervens desiderium . Additis his  
superarunt bona condonatis propter sa-  
lutaris Sacramenti votum cunctis reati-  
bûs , deduxeruntque Angeli tremulam  
animam in locum sperandæ salutis .

## S E C U N D U M.

**A**Liis duobus Fratribus Parisiensibus per Burgundiam transeuntibus occurrit homo devotus, rogans, ut in domum suam velint descendere. Annuentes introduxit in præparatum hopiti*ii* cubiculum: *hæc, inquit, est Camera Minorum.* Sciscitantibus appellationis originem narravit, se duobus Fratribus tota veste madefactis ignem accendisse, habitus aquâ defluentes expressisse, & cætera charitatis obsequia addidisse; mox ægrotantem valdè timuisse, ne in æternum periret. Inter has angustias immissa visione in ponte quodam angustissimo se putabat hærere, neque pedem movere ausum, ne decideret in ardentes rogos subtus extuctos. Compellabatur tamen à malis Angelis, ut progrederetur, at à bonis sibi visum aquæ guttis illis, quas ex madidis Fratrum vestibus aliquando expressit, subjectos ignes extingui, & in amæna loca Paradisi à Sandis Angelis se perduci.

Tan-

Tanta consolatione , inquit , repletus dum evigilavi , constanter mecum decrevi , perpetuum parare Minoribus hospitium , quibus cubiculum hoc lectis , & cæteris rebūs necessariis instructum applicui , eorumque meritis , & precibūs me salvandum iri in Domino confido .

Q. An aliud præter memorata quatuor Privilegia hoc loco Divo Francisco fuerit revelatum à Domino ?

R. FAmem per totam Italiā graftaturam hic etiam Divina cognovit revelatione Divus Franciscus , sed primū instante morte Fratri Leoni manifestavit dicens : *Heu Frater mi ! propter peccata populorum mittet Deus magnam famem in mundum , sed propter merita cuiusdam pauperis ( nescio cuius ) qui modo vivit in mundo , hoc flagellum distulit Dominus , sed eo mortuo , ita fames hæc invalescat , quod innumirabiles homines miserabili egestate peribunt.* Statim à S. Francisci

sci morte prophetia hæc completa est, nam tanta fames universam pervasit Italiā, ut miseri homines non solum herbarum radicibūs, sed etiam arborum corticibūs vesci cogerentur, unde, & tanta clades subsecuta est, ut nihil, nisi mortis imago ubique appareret. Qua debacchante apparuit Beatissimus Pater Fratri Leoni, & se pauperem illum fuisse, propter quem Deus hanc plagam distulit, ostendit. Pisanus lib. 2. Conf. S. Gonzaga 2. p. de Provin. Tusciæ.

Q. Quomodo liberaverit S. Franciscus in isto loco Fratrem Leonem à gravi tentatione?

R. F Rater Leo gravissima non carnis, sed spiritū tentatione pulsatus cupiebat habere de verbis Domini scriptum aliquod ipsius S. Francisci manu exaratum, ex quo credebat evadere, vel saltem faciliùs ferre tentationem. Franciscus in cella reclusus, juxta Fratris desiderium, quod pius discipulus vere-

verecundia victus Sancto Patri pandere  
fibi non fidebat, propria manu scripsit  
sequentem Benedictionem ex libro Nu-  
merorum cap. 6. v. 24. magno, & my-  
sterioso Tau charactere signatam.

**BENEDICTIO à S. FRANCISCO FRA-  
TRI LEONI DATA.**

**T.** Benedicat tibi Dominus, & custodiat  
te: ostendat faciem suam tibi, & misereatur  
tui; convertat vultum suum ad te, & det  
tibi pacem. Dominus benedicat Fratrem  
Leonem.

Hanc chartulam dein tulit Divus  
Franciscus prædicto Fratri, qui, ut ac-  
cepit optatum illud donum, mox eva-  
nuit tentatio. Hañc scripturam diligen-  
tissimè custodivit ad vitæ tempus Frater  
Leo. Post ejus verò obitum asservatur  
in hodiernam diem in Sacrario S. Fran-  
cisci Assisi.

**Q.** Cujus munificentia prima D.  
Francisci Cellula in Sacellum S.  
Ma-

Mariæ Magdalenæ transiverit,  
& qua de causa?

R. CApellam hanc secundūm præfatum formam ædificavit Illustrissima Domina Catharina Roberti Petremallæ Comitis uxor, eamque S. Mariæ Magdalenæ dicavit; tum quia hæc sancta prima fuit Christi pœnitens, hicque locus primus fuerit, in quo Divus Franciscus in Sacro Alverniæ Monte pœnitentiam egit: tum quia multiplices apparitiones ab eadem S. Maria Magdalena hic P. Mariano à Lugo factæ sunt, qui mortua uxore ad salvandam animam domo egressus hospitium uno circiter miliiari ab *Alvernia* distans fortè subiit, ut tantisper refocillaretur, ubi dum cibum præstolaretur, audivit vocem bina vice dicentem sibi: *Mariane! Mariane!* *in hoc loco salvabis animam tuam.* Unde consenso monte, & suscepto S. Francisci habitu vitam in Religione Seraphica traduxit Angelicam. Dæmonem an-

nis quindecim molestè persequentem pa-  
tienter tulit. In specie multulæ infer-  
nalæ hostis sæpe apparens orantem af-  
fligebat, & singulis noctibus per horam  
unam vexabat, donec vir Dei longa  
consuetudine eum despicere cœpit. Sa-  
cerdotibus sacrificantibus libenter infor-  
viebat, in oratione assiduus meruit vi-  
siones videre cœlestes Christum Domi-  
num, gloriosissimam ejus Matrem, ac  
S. Mariam Magdalenam, cujus inter-  
ventu rupem illam miraculosè compla-  
navit, quæ ingressum ad Capellam istam  
præpediebat, ut hodie pontis loco in-  
troeuntibus deserviat. De hoc etiam  
refertur, quòd, dum Janitorem Flo-  
rentiæ Cœnobii S. Salvatoris agens vidis-  
set præ foribus S. Franciscum aliò so-  
ciatum Minoritâ, hortatusque fuisset, ut  
intrarent, tale acceperit responsum: *In-*  
*gredi nolumus domum à nostra professione ali-*  
*enam;* fuit autem tunc certè sumptuosior,  
& magnificentior, quam paupertatem  
deceret Franciscanam, insumpferant e-  
cum primi structores, & demum Sere-  
nif-

nissimus Laurentius Medices in ea perficienda ultra centum millia aureorum, sed subsidente solo, vel structuræ vitiis totum fermè corruit ædificium. Hic Dei servus tandem meritis plenus obiit A.C. 1495. die 1. Januarii.

**Q.** An aliud etiam Nomen habeat prætacta Capella ?

**R.** **H**Æc Capella dicitur etiam Sacellum *Cardinalis à cineribus Illusterrissimi Galleoti de Ubertinis Aretini Petremalæ Comitis, ac S.R.E. Cardinalis* in eo reconditis. Supra portam hæc incisa conspicuntur :

*Anno Domini 1224. Beatus Franciscus sub bac arbore sæpè cum gratiarum actione, & laetitia spiritus comedit: & circa Festum Exaltationis S. Crucis Seraph ei in bujus montis latere apparuit: & ex tunc corpori ejus Stigmata Domini nostri Jesu Christi mirabiliter impressa fuerunt.*

In hoc Sacello existit quadratus ille lapis ferrea crate contectus, super

quem S. Franciscus Christum Dominum  
fedentem conspexit sibi superius relata 4.  
Privilegia revelantem.

Q. Quid de Petra in morte Christi scis-  
fa, in qua S. Franciscus Psalmos  
Poenitentiales recitare, & super-  
nas recipere immissiones solebat?

R. CUM die quadam Seraphicus Pa-  
ter e Cella sua egressus per hu-  
jus Sacri Montis salebras discurreret,  
& locum contemplationi opportuniorem  
quæreret, non longè à prædicta domun-  
cula offendit quoddam saxum, quasi  
artificiose ad instar cubiculi scissum,  
quod ingressus post 7. Davidicorum  
Poenitentialium Psalmorum recitationem  
exactius considerare, summoque ejus  
Opificis sciendi desiderio flagrare cœpit:  
nam inferior ejus pars pavimenti, su-  
perior verò, quæ & rimulam recipien-  
dæ luci accomodam habet, tecti affabré  
elaborati formam præfert: & ecce!  
dum ejusmodi desiderio instantius va-  
caret,

caret, affuit ei Angelus inquiens: *Franciscē! quid miraris? Icito hanc Petram scissam esse cum cæteris saxis in mei, & tui Domini amara morte.* Hac de causa S. Pater majori deinceps devotione istum locum frequentavit, tenerimis gemitiibus, & suspiriis compatiens Passionis ejus, cuius causa dictæ petræ scissæ sunt, & licet Dœmon sæpe Franciscum ab orando, & meditando impedire conaretur, ingentes ab alto dejiciendo lapides, nunquam tamen à solita eum oratione, & meditatione potuit dimovere; quin imò ex hoc tempore quotidie Vir Sanctus illuc accedere, & 7. Davidicos Psalmos Pœnitentiales perfolvere solebat.

**Q.** An præter Angeli testimonium alia aliqua autoritate probetur, aliqua sui parte Montem Alvernianæ in morte Christi scissum esse?

**R.** VEritati huic testimonium perhibent S. Bernardinus Senensis in suo Seraphim tom. 3. Cardinalis Baro-

nius ad A. C. 34. Flos Sanctorum Riba-  
dineiræ in Festo S. Francisci cum plu-  
ribus aliis, & Cimenius Patriarcha Je-  
rosol. Tract. 5. cap. 12. inquiens : *In I-  
talia, die, quā Christus expiravit in Cruce,  
apertus fuit quidam Mons magnus, quem  
Laverna nuncupant, scindens se in abyssum,  
& petræ volabant tantum in aere ; quod  
relabentibus ipsis saxis inter eos distantia  
magna remanserit.* Franciscus item Sala-  
zar in Epistola responsoria ait : *O verè  
felices populos, & feliciores Franciscanos  
milites, Sacri Montis incolas, quibus tot, &  
tanta hic enunciata vestigia, cavernas, &  
prærupta montis latibula, petras magnō mi-  
raculo scissas intueri concessum est.*

Q. Quod sit illud *foramen Diaboli*,  
Italicè *Buca del Diavolo*, per  
quod Dœmones fugerunt, dum  
Christus D. Francisco Sacra Sti-  
gmata imprimeret ?

¶. **R**upto, & scisso monte in obitu  
 Servatoris, tanta effecta est pro-  
 funditas, ut mons quasi insulatus eva-  
 ferit excepta orientali parte: in hac pro-  
 funditate communiter ajunt esse *foramen*  
**Diaboli**, per quod fugerunt legiones  
**Dœmonum** habitantium in lacu in cen-  
 tro montis, quando advenit Dei Filius  
 Seraphico Patriarchæ Sacra Stigmata in-  
 sculpturus. Nec mirandum Dœmones  
 hinc recessisse, dum Franciscus signa  
 Dei vivi reciperet, qui jam in ejus na-  
 tivitate plurimùm commoti, & territi  
 fuere, *in hora* ( inquit Monteser Conf.  
 lib. I. ) *nativitatis B. Francisci tanta com-*  
*motio fuit in inferno*, ut Dœmones territi  
*crediderint judicium advenisse*. Ex isto la-  
 cu derivant novem fontes exprimentes  
 novem Choros, inter quos major, &  
 excellentior, vulgo *S. Francisci fons* di-  
 catus est, ex quo sæpè tum ipse S. Pa-  
 ter, tum S. Antonius, aliquique Beati bi-  
 berunt, qui omni cisterna pro tunc  
 destituti, inde aquam haurire consueve-  
 rant.

**Q.** Quod ministerium præstiterit  
*Falco*, sive *Austur* D. Francisco  
in Monte *Alverniae*?

**R.** Propè locum prædictum versus  
Occidentem nidificans *Falco* ma-  
gno se amicitiae fœdere junxit B. Fran-  
cisco, eique æditui loco servivit, tempo-  
pore nocturno horam, qua Vir Sanctus  
surgere solebat ad Laudes Divinas can-  
tu suo præveniens, quod Dei famulo  
valdè gratum erat. Dum autem Servus  
Christi infirmitate plùs solitò gravare-  
tur, parcebatur *Falco*, nec tam tempesti-  
vas indicebat vigilias, sed quasi divi-  
nitùs instructus circa diluculum vocis  
suæ campanam levi tactu pulsabat. Di-  
vinum certè videtur fuisse præsagium,  
tam in exultatione diversarum avium,  
quam in cantu *Falconis*, Dei laudatorem,  
& cultorem Franciscum pennis contem-  
plationis subiectum, fore etiam hoc lo-  
co Seraphica apparitione sublimandum.  
Cæterum constat veridica eorum relatio-  
ne,

ne, qui sacrum hunc Montem inviserunt, Astures ab eo tempore nunquam ex hoc Monte recessisse.

**Q. Quid de quinque Cellis Comitatis Simonis memorandum?**

**R.** Post mortem D. Francisci Illustrissimus Comes *Simon Guidonis Battifolii* filius, Hetruriæque Heros intra Ædiculas S. Antonii Abbatis, & S. Sebastiani Martyris quinque cubicula, quinque Sacerdotibus, ab aliis Fratribus quoad habitationem separatis, quibus & de victu, & amictu providit, ne mendicationis causâ egredi cogerentur, ex ea, quâ in B. Franciscum ferebatur, devotione, extrui curavit. His verò Fratribus officiatura Sacelli Sacrorum Stigmatum incumbebat, nec alteri, quam Divinis celebrandis Officiis, ac sacrâ, continuisque meditationibus vacabant: & inter reliquos sanctitate insignes ad id munus exequendum à Reverendissimo Generali totius Sacri Ordinis nostri

Ministro feligebantur. Inter alios, qui has cellas incoluerunt, fuit Conradus *Offidanus*, Provinciæ Marchiæ Alumnus, cuius habitus adhuc cum aliis sacris reliquiis asservatur. De hoc recenset *Pisanus*, lib. 1. cap. Conf. 8. *Monteser*, & *Cetica*, quòd in vita resuscitaverit quinque mortuos; sibique gloria Virgo in die Purificationis apparuerit, ac Puerum Jesus suis ulnis amplexandum tradiderit.

Quia autem A. C. 1289. Comes *Simon* in *Campaldino* bonorum suorum amissò Dominiō impotens ad alendos, & vestiendos Fratres effectus est, ii per aliquod tempus à Regina *Joanna* sacrum hunc Montem invisente sustentati, tandem cellis ruinæ proximis dimissis, cæteris Religiosis nostris fuerunt incorporati.

Q. Quæ fuerit secunda Divi Francisci in Monte Alverniæ Cella, & quid sibi in ea cœlitùs revelatum?

**R.** **D**IVUS Franciscus majoris solitudinis inveniendæ desideriō incensus cum Fratre Leone sacrum *Alverniae* Montem obeundo attigit præcipitum, ubi hodie extat Capella S. *Sebastiani*, veditque ulterius plura esse loca contemplationi opportuna, ad quæ maxima cum aviditate supposito in forma pontis ligno transfivit, ubi iterum ex arborum ramis domunculam efformavit, quæ *secunda* D. Francisci *Cella* dicitur, hancque præ cœteris adamabat post acceptam supernam revelationem, ut hic Quadragesimam SS. Angelorum celebraret, & pleniorib[us] affectib[us] Deo vacaret.

**Q.** Quomodo inchoaverit istud Jejunium SS. Angelorum Divus Franciscus?

**R.** **C**Oncepto strictius hoc anno jejunandi proposito, nempe in solo pane, & aqua, præcepit Fratri Leoni, quem solum secum retinuit, ut se-

mel ei ad vesperam panem afferret, & aquam, & præ tugurii relinquenter ostiolio: nocte verò media eum veniret invitatum ad laudes Divinas, & matutinas preces solvendas, non tamen repente introiret, sed deforis intonaret versiculum illum: *Domine labia mea aperies, & respondente illo alteram versiculi partem, & os meum annunciat laudem tuam,* ingrederetur, tacente autem regrederetur. Ad unguem omnia observabat bonus socius, nihil tam curans, quām pio Patri in omnibus adesse, & obedire, sed sæpius reverti oportebat nocte intempesta; nam raptus in extasim sæpius non respondebat.

Q. Quid evenerit D. Francisco in hac secunda Cella?

R. **Q**Uamprimum Vir Seraphicus hic pedem fixit, ab aviculis non absimili modō, quō in primo ad hunc Montem accessu summā lætitia fuit exceptus: quæ durante sua Quadragesima die-

dietim circa auroram ad orandum sur-  
gente Dei famulo tuguriolum circumda-  
bant , & alternativo concentu Beatum  
Patrem mirum in modum recreabant ,  
id , dum Franciscus admiraretur , audi-  
vit vocem dicentem sibi : *Francisce hoc ti-  
bi sit præsagium , quod Dominus hoc loco tibi  
singularissimum favorem quemdam exhibere  
velit.* Et ex tunc fuit interius certifica-  
tus , se in hoc determinato loco sacris  
Stigmatibüs decorandum .

**Q.** Quid acciderit Fratri Leoni in  
hoc eodem loco ?

**R.** Postquam pius iste tanti Patris di-  
scipulus A.C. 1224. die 17. Au-  
gusti dicta Missa , & communicatō S.  
Franciscō , pro pane , & aqua abiisset ,  
redux invenit eum suprà terram eleva-  
tum , & omni sensu privatum , cuius  
sanctos pedes fortiter , & piè comple-  
ctens , & lacrymis irrigans , devotissimè  
orabat dicens : *Deus propitius esto  
mibi peccatori per merita bujus Sanctissimi  
Viri*

*Viri, & tantillum tuæ gratiæ mihi velis  
instillare. Aliis vicibus vidi eum in  
raptu altissimas fagos superasse, ali-  
quando ad secundam, & tertiam aëris  
regionem evolasse, ita; ut manibus neu-  
tiquam, imò vix oculis attingi posset,  
quo casu Leo ad terram sese prosternens  
eamdem piissimè repetebat orationem:  
Deus propitius esto &c.*

**Q.** Qualiter D. Franciscus in his  
piis spiritualibus exercitiis fuerit  
impetus à Dæmone?

**R.** CErnens hostis infernalis in servo  
Dei Francisco tanta gratiarum  
dona, varias ei inferre molestias para-  
bat, non tantum interius mala multa  
astutè suggerendo, sed etiam exterius  
sub horrenda specie cum illo manu ad  
manum configendo. Transeunti semel  
Viro Sancto per arctam quamdam semi-  
tam, ad oram ingentis præcipitii, re-  
pentè in terribili occurrit effigie, quem,  
cùm ad suas artes non posset adducere,  
in-

injectis in eum manibūs voluit de monte in profundissimum hiatum dejicere; nihil erat, quod Franciscus apprehenderet; quare sibi imminentis petræ molæ apprehendit, illique ultrò cedenti semet immergit, & tanquam moli cœræ membrorum figuram impressit, quō dumtaxat remedio manifestum evasit periculum. *Pisanus* narrat, usque ad sua tempora, id est ad annum 1389. adhuc distinctè in hac petra effigiem capitis, manuum, pedum, & aliorum membrorum S. Francisci fuisse conspicuam, quæ tamen temporis decursu Peregrinorum ferro cessit.

**Q.** Quid egerit D. Franciscus super ratō precipitii periculō?

**R.** **V**icta hac diabolica tentatione accessit Angelus bonus citharæ melodia tremulam refocillans animam tanta musicæ suavitate, & cordis suspensione, ut si diutiùs durasset, præ nimia dulcedine Vir Sanctus animam acturus sibi

sibi videretur. Tandem autem ad orationem reversus humili prece Dei circa se investigabat voluntatem, qua ratione in omnibus Divino sese conformaret beneplacito. Suggestum igitur est menti ejus, ut ex fortuita apertione libri Evangeliorum Divinum Oraculum legendō, tamquam à Christo sibi datum acciperet, & disceret, quam ipsi sortem Divina Providentia præparasset; quem, cum tribus distinctis vicibus in nomine Sanctissimæ Trinitatis aperuisset, & semper occurrisset: *Passio Domini nostri Iesu Christi:* intellexit Vir Deō plenus, quod uti Christum fuerat imitatus in actibus vitae, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus Passionis, antequam ex hoc mundo transiret.

**Q.** Quis alius casus hic successerit?

**R.** Post aliquot annos nempè A. C. 1273. cùm quidam devotus Religiosus viam, quā præfata specus peteba.

tebatur , hominum gressibus faciliorē reddere contenderet , ab eodem dœmone inde præcipitatus fuit. Cùm autem Fratres feretrô , ac cruce sumptis eò irent , ut defunctum sepulturæ traderent , eum illæsum , & Hymnum : *Te Deum laudamus &c.* canentem invenerunt , quibus fassus est , se interventu Seraphici Patris , cuius opem imploravit , incolumem evasisse.

**Q.** Ubi Divus Franciscus Sacra reperit Stigmata , per quem hic benedictus locus in Sacellum S. Crucis translatus , per quem exornatus ?

**R.** **N**On longè à præmemorata *secunda* S. Patris Cella construxerat sibi Vir Seraphicus sub procera quadam fago Oratorium , in quo integras in oratione noctes insumere assverat. Hic in Festo Exaltationis S. Crucis paululum ante auroram maxima luce circum.

cumfusus à Christo Domino sub Seraph  
specie in aëre sibi apparente sacris fuit in-  
signitus Stigmatibūs. Simon Florenti-  
nus Heros tanto Patri addictissimus Sa-  
cellum istud sub titulo Sanctæ Crucis  
ædificari, & exornari curavit A. C.  
1244. quod sequentes litteræ marmori  
incisæ sat̄is indicant:

*Anno Domini 1244. feriâ quintâ post  
festum Assumptionis gloriosæ Virginis Ma-  
riæ Comes Simon Filius Illustris Viri Comi-  
tis Guidonis Dei gratia in Tuscia Palatinus  
fecit fundari istud Oratorium ad honorem S.  
Francisci, ut ipse, cui in loco isto Serap ap-  
paruit sub anno Domini 1224. infra Octa-  
vam Nativitatis ejusdem Virginis, & cor-  
pori ejus impressit Stigmata Jesu Christi,  
consignet eum gratia Spiritus Sancti.*

Spatium istud, in quo S. Franciscus  
Sacrī fuit significatus Stigmatibūs,  
conclusum est ænea crate, quam anno  
Christi 1536. fieri curavit, perdevota  
quædam foemina Elisabetha, cujusdam  
Angeli de Baldis uxor. In hoc Sacro  
Stigmatum Sacello ardent perpetuò quin-  
que

que argenteæ lampades , quas Eminentissimus Cardinalis *Montaltus* huic loco donavit. Chorum ligneum extruxerunt Fratres A. C. 1532. Hic est Indulgentia plenaria perpetua semel in anno lucrabilis , prout desumitur ex Bulla Clementis XI. data A. C. 1705. die 2. Octobris. Manet hic in Eremitorio semper unus ex dignioribus Patribus nostris , cui victus ex Conventu subministratur.

Q. A quo fuerit hoc Sacellum consecratum ?

R. I llustrissimus , ac Reverendissimus Dominus Reginaldus Ravenarum Archiepiscopus præsente Reverendissimo Domino Aldobrandino Aretinorum Episcopo illud A. C. 1310. die 5. Septembris solemniter consecravit , ac Sanctæ Crucis , Sanctis Angelis , & B. Patri Francisco dedicavit. Dein majus Altare , ad quod reposita fuit nova imago facta à Domino Thoma *Alexandri* ,

cujuſ Inſignia, nempe agnellus cum du-  
abus faciebus infra imaginem conſpici-  
untur, conſecravit Reverendissimus Pa-  
ter Frater Angelus Feducius à Bibiena  
Pisauriensium Epifcopus A. C. 1375. die  
25. Januarii. Tandem Francifcus Salaz-  
ar Epifcopus Salaminæ, nullo certo pri-  
mœvæ confeſerationis veſtigio exſtantem,  
id A. C. 1568. de novo conſecravit.

Q. Quid acciderit in hoc Sacello  
cuidam Patri Guardiano Floren-  
tino Miſſam celebrare volenti.

R. **D**um hic Sacerdos Miſſam incho-  
aret dicendo: *Introibo &c.* appa-  
ret ei Angelus Domini quærens: *Frater!*  
*de quo vis celebrare?* qui respondit *de Cru-  
ce.* Et Angelus: *non celebrabis de Cruce.*  
Subjunxit Guardianus: *celebrabo ergo de  
S. Francisco.* Cui Angelus: *nullo modo.*  
Replicuit Guardianus: *celebrabo itaque de  
B. Virgine Maria:* Cui Angelus: *non.*  
Cumque Guardianus instaret; *de quo er-  
go celebrabo?* reposuit Angelus: *celebra-  
bis*

bis de Angelis. Scias totum hunc montem esse plenum Angelis, eumque sub eorum tutella, & protectione consistere.

Q. Quæ devotio in Sacello sacrorum Stigmatum vigeat, & unde constet Beatæ Mariæ Virginis processionem ad id fieri solitam semper acceptam fuisse?

R. A D id ex omnibus Christiani Ordinis regionibus perpetuò Fideles confluunt sua vota persoluturi, plurimaque inde beneficia à Deo O.M. meritis tanti Patris referunt. Unus è nostris Sacerdotibus singulis diebus ibi peragit Rem Divinam. Præterea instituitur quotidie jam ab A. C. 1432. à nostris Religiosis diu, noctuque ad hunc Seraphicum locum processio recitando Nocturnum Officii B. Virginis Mariæ, quod illi Benedictam vocant, & alios hymnos devotissime cantando. De die canitur Antiphona: *Sacer Franciscus claruit, cui Seraph HIC apparuit signans eum chara-*

*Ètere, in volis, plantis, & latere, dum formam Crucis gerere vult corde, ore & opere: cum sequenti versu: Signasti Domine HIC Servum tuum Franciscum signis Redemptio-  
nis nostræ. Dein dicit Hebdomodarius Orationes de Sancto Francisco, de B. Virgine Maria, SS. Angelis, Joanne Baptista, Evangelista, & S. Hieronymo; quia hos Sanctos repræsentat Imago Altaris. Notandum autem, quod dum pronuntiatur HIC à Versiculariis, indice monstretur locus. Ut autem Beataissima Virgo palam manifestaret, sibi semper hanc Fratrum supplicationem gratam extitisse, visa est non semel ex altissima quadam fago Religiosos ad hoc Sacellum tendentes benedicere, id, quod præter plurimos alios viderunt Frater Zachæus, & Frater Conradus Offidamus.*

**Q.** Quale Miraculum acciderit cum hac Processione?

**R.** CUM hæc Fratrum supplicatio, seu processio A. C. 1432. quo etiam instituta est, nocte ex copiolo,

&amp;

& nimio nivium delapsu una vice à Religiosis prætermissa fuisset, feræ silvestres diversi generis à majori Ecclesia ad præfatum Sacrorum Stigmatum Sacellum usque binæ, & binæ professionaliter processisse die sequenti mane ex relictis pedum vestigiis animadversæ sunt; Unde Fratres altera die id videntes, hujuscemodi processionem perpetuò, & indispensabiliter habendam, quantacunque fæviret tempestas, firmissimè statuerunt. Qua etiam de causa Clemens VII. singulis Fratribus, qui ei interfunt, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam vivæ vocis oraculo dicitur concessisse.

**Q.** Quod fuerit Oratorium Fratris Leonis?

**R.** **S**Upra Petram, cui insistit Altare Sacrorum stigmatum, ubi, prout piè creditur, Seraphim constitit, antequam D. Francisco Sacra imprimeret Stigmata, erat plantata grandis *fagus*,

supra Stigmatum inclinata Ecclesiam , quam A. C. 1498. insolens quidam milies tantum Sacellum suâ ruinâ demolitus, ex mera malitia succidit ; sed ea fuit Dei O.M. bonitas, ut arbor contra suam naturalem inclinationem lateraliter caderet absque omni Ecclesiæ detrimen-  
to. Supra prædictam petram Beatus Pater Leo Secretarius, Socius, & Confessarius S.Francisci, & sedulus actionum illius observator quoddam construxit Oratorium , ubi plures, & admirabiles habuit revelationes.

**Q.** Quod fuerit Oratorium S. Bonaventuræ?

**R.** **N**on longè ab hac ipsa Sacrorum Stigmatum Æde versùs inferiorem partem aliud Oratorium S. Bonaventuræ sacrum subsistit , quod maxima Fideles devotione prosequuntur , adhæret siquidem ei ferè loco , in quo D. Franciscus Stigmata recepit. Dicitur autem S. Bonaventuræ , non quod ab

ab ipso ædificatum fit, sed quod ad illud, dum Generalatûs Officiô fungetur, sæpiùs oraturus diverterit. Doctor iste Seraphicus in Sacro hoc Monte composuit librum, cui titulus: *Itinerarium mentis in Deum*, & alium, cui titulus: *Itinerarium mentis in seipsum*.

**Q.** Quod fuerit Orationarium S. Antonii de Padua?

**R.** CUM S. Antonius Paduanus post generale Capitulum Assisii A. C. 1230. celebratum pro majori sua quiete, & devotione hunc Sacrum Montem in habitationem elegisset, nullò pacto induci potuit, ut secunda B. Francisci Cellula, quod se eâ indignum judicaret, uteretur; sed aliam ad ejus latus, sibi ex terra, & arborum ramis construendam curavit, in qua & sermonum librum ad Gregorii IX. Pontificis Maximì instantiam componere cœpit, quem in Conventu de Cerbajolo absolvit; cum enim B. Antonius humidæ esset comple-

xionis, & corpulentæ, licet alias plurimū effet abstemius, ingruente hyeme ob varias contractas infirmitates monti valedicere fuit coactus. Hanc Cellam Comes *Simon* Sacrorum Stigmatum, & S. Crucis Sacella ædificaturus, intra eorum fundamenta conclusit, unde & Sacelli S. *Antonii* de Padua nomen acquisivit.

**Q.** Quæ Capella dicatur esse S. Sebastiani?

**R.** IN illo specu, ex quo Dœmon S. Franciscum invidiā motus præcipitare visus est, Angelus *Bacci* civis Aretinus Sacellum in honorem S. Sebastiani A.C. 1380. eo scilicet tempore, quod dira pestis universam Italianam pervasit, ad Fratris cuiusdam Laurentii à *Fabriano* instantiam (qui 50. annis sanctissimè in hoc monte vixit, faciendo Quadragesimas in pane, & aqua, cui vulgo *Zachæus* nomen fuit, quia statura pusillus erat,) ibidem ædificandum curavit. Ad cu-

jus

jugis dextrum latus versus silvam, ubi  
nunc Capella quædam ædificata, pluri-  
ma antiquorum Patrum maximè in quin-  
que Cellis habitantium ossa recondita  
sunt. Hæc dum ex terra, & cœmete-  
rio ordinario exhumata, ut in honori-  
ficientiores quatuor sepulturas ea de cau-  
ſa erectas, inferrentur, diligentius con-  
geruntur, nubeculâ quâdam ex tempo-  
re ortâ per diem, ac nocte sequenti  
igneô globô contecta fuere. Quare iis  
sepulturis relicts huic loco, ut in ma-  
jori veneratione haberentur, donata  
fuerunt.

**Q.** Quod fuerit *Secretum Orato-*  
*rium, & lectus S. Francisci?*

**R.** Substat Sacello S. Antonii Abba-  
tis inter ingentia prærupta saxa  
quædam concavitas, quæ aliud non ha-  
bet lumen, præter id, quod recipit  
ex parte, quâ intratur: hæc concavi-  
tas erat *Secretum S. Francisci Orato-*  
*rium, in quo ab aliis semotus orare*

confuevit, & petra, supra quam sīn  
prædicta concavitate, defatigata ex con-  
tinua genuflexione, & oratione mem-  
bra necessariō somnō aliquando refe-  
cit, *lectulus* B. Francisci vulgò appella-  
tur. Celebris preterea hic locus red-  
ditus est ex miraculo Illustrissimi Domi-  
ni Petri Joannis Pauli de Ursinis, qui,  
cūm omnium membrorum contractio-  
nem ex gravissima infirmitate incurris-  
set, ad hanc petram, in qua D. Fran-  
ciscus quiescere assueverat, deportatus,  
continuò sanus evasit; unde & in debitæ  
gratitudinis argumentum, præmemora-  
tum S. Antonii Abbatis Sacellum ibi-  
dem propriis sumptibûs ædificari, ac  
sequentes litteras cum Gentilitiis pro-  
priæ Familiæ Insignibus ejus portæ inci-  
di curavit. A. C. 1440. Hoc opus fieri fe-  
cit Petrus Joannis Pauli de Ursinis de Urbe Ca-  
pitaneus olim Generalis populi Florentini.

Q. Quodnam aliud híc contigerit  
miraculum?

¶ **D**um A. C. 1685. Serenissimus Princeps Franciscus Maria *de Medicis* paucis diebus post suam ad Cardinalitiam dignitatem sub Pontificatu Innocentii XI. promotionem Sacrum *Alvernix* Montem visitasset, aderat inter alios famulos curfor Domini Canonici Costa præmemorati Cardinalis Capellani, natione Turca, Religione Mahometanus. Vix prædictus curfor Sanctuarium *Lecli S. Francisci* est ingressus, in horrendum ejulatum prorupit, &, ut baptizetur, ingenti fervore postulavit, subjiciens, sibi Seraphicum apparuisse Franciscum, & si salvari velit, ut baptizari procuret, imposuisse. Altero die, nempe sexta Octobris fuit ab Eminentissimo Cardinali Patri Innocentio ex Parochia S. Stephani commendatus, ut id ageret cum eo, quod in Domino expediens judicaverit; hic verò resolutus, ut baptizetur, ea tamen conditio ne, ut pro plenaria fidei mysteriorum capienda notitia Florentiam rediret, ubi  
tan-

tandem constans in suo proposito sacrô regenerationis lavacrô fuit ablutus.

Q. Quid de Capella *Fagi*?

R. IN isto loco, ubi in præsens est Capella, erat olim *fagus*, quæ primam Cellam S. Francisci obumbrabat: in ista *fago* erat foramellum semper aqua ad depellendos præsertim oculorum morbos salutari plenum, in qua S. Pater transeundo ad secundam Cellam manus stigmatizatas lavabat, ex quo tempore semper sanguinea profiliebat usque ad A.C. 1602. quô sub Guar-dianatu Patris Francisci à Sovaggio hæc *fagus* concidit, & aqua sanguinea in am-pulla in Sacraria fuit reservata, quæ tandem ante 7. vel 8. annos ob intensissi-mum frigus erupta est. Non deerant, qui dicerent, hanc aquam non provenisse ex *fago*, sed fuisse de industria illinc allatam à Fratribus, id, cùm Superiores rescivissent, vetuerunt, ne ullus ad dictam *fagum* accedat. Veniens de-inde

inde ad Montem Magnus Hetruriæ Dux Cosmas Pater Ferdinandi Magni cum sua consorte Domina Leonora Hispana, ut facti certitudinem caperet, iussit vesperi spongiâ foramellum exsiccari, *fragum* vigiliis custodiri, quibûs non obstantibûs manè foramellum, ut alias, plenum aquâ repertum est.

**Q.** Quæ fuerit vita admiranda Beati Joannis ab *Alvernia*?

**R.** **H**ic Dei servus natus est A. C. 1259. Ab ipsa tenera ætate sanctitatis specimen præbuit, non aliter, quam S. Nicolaus tribûs duntaxat hebdomadæ diebûs ubera sugens suæ Genitricis. Septimô ætatis anno puerorum fugiebat consortia, solitaria loca frequentans. Decennis factus Canonicus Regularis S. Petri de Fermo, ferream laminam triginta librarum cingebat supra nudam carnem. Decimum tertium attingens annum nostrum Seraphicum amplexus est Institutum. Vixit universim

sim annis 63. In Religione 50. In Sacro Alverniae Monte 30. unde & Johannes ab Alvernia est cognominatus. Observabat quotannis sex Quadragesimas, videlicet Spiritus Sancti, Assumptionis Beatæ Virginis, Angelorum, S. Martini, S. Francisci, & Majorem, quam vocant. Sed in tribus posterioribus parcissimè panem, & aquam duntaxat admittebat, sicuti etiam in vigiliis Sanctorum, & sextis feriis. Aliâ jejunabat quadragesimâ mirò modô per dies singulos ex herbis crudis decerpens, quot duobûs digitis decerpi possent, idque semel in die, aquæ potum adjungens. Aliâ tot fabas madefactas quotidie sumebat, quot pugillô poterant concludi. Aliâ parvulum panem hordeaceum totis 40. diebûs reclusus in cella. Alia sporulam tantum panis biscoctti admisit, frustulum unum sumens quotidie. Per integrum triennium stans, aut muro, aut perticæ innixus modicum capiebat somnum, neque tempore hoc toto unquam visus est sedere, nisi, dum incho-

choro, capitulo, aut triclinio Fratribus assidere oportebat.

**Q.** Quæ fuerit Ædicula Beati Joannis ab *Alvernia* ?

**R.** **Q**UAMQUAM devotissimus iste Pater cum Fratribus in Choro, & Refectorio ordinariè conveniret, vitam tamen aliás agebat solitariam in Cella in clivo illius colliculi, qui supra Sacrorum Stigmatum Sacellum elevatur, ex terra, & arborum ramis exstructa. Straverat hic Dei servus juxta præfatum Sacellum semitam, quæ ad pulcherrimam *fagum* in tres ramos distinctam terminabatur, cuius truncō Crucifixi appendit imaginem. Cūm quodam die summā obrutus tristitiā omnem sibi sublatam spiritūs dulcedinem divinis intentus meditationibus per eam viam ambularet, & oculorum acie in Crucem eidem arbori affixam directisset suspirans cum Propheta: *Redde mihi lætitiam salutaris tui!* Christum Domum

num in ea graviori passu gradientem  
ex tempore vidit, ad cuius sacrosan-  
tos pedes provolutus, cum semel, at-  
que iterum erratorum veniam ab eo sibi  
dari supplex expostulasset, nec respon-  
sum aliquod retulisset, tertio ipsum jux-  
ta arborem secutus, interim corpore in  
terram demisso eamdem petitionem re-  
petiit, ac tandem exauditus, Divinos  
pedes, manus, ac sacrosanctum latera-  
le vulnus deosculari meruit. Disparen-  
te Domino Joannes summâ lætitia per-  
fusus remansit. Ex hoc tempore tan-  
tam gratiam consecutus est prædican-  
di verbum Dei, ut dein in principaliori-  
bus Italiæ Civitatibus non absque in-  
genti animarum fructu hoc Apostolicum  
munus obiret. Ut hujus Dominicæ appa-  
ritionis perennis memoria extaret, in  
ea semita nulla unquam crescit herba  
ob contactum Sacratissimorum Christi  
Domini pedum. Pariter ad prædictam  
*fagum* tanta postmodum facta est Pere-  
grinorum religio, & devotio, ut nullò  
modò à Fratribus prohiberi potuerint,  
quin

quin eam omnino decorticârint, quò tandem factum, ut cortice nudata perierit. Pater Angelus ergo *Rossinas* sacri hujus loci Guardianus, ne tanta populorum devotio aliquando evanesceret, ipsam succidendam, ac ibi sacrum quoddam Sacellum A. C. 1518. ædificandum curavit, cuius Altare ejusdem arboris trunco innititur.

**Q.** Ubi egerit pœnitentiam Beatus Joannes, & quas apparitiones, & visiones habuerit ibidem?

**B.** INfrà cellam Beati istius Patris est altissimum præcipitum habens versùs occidentem ex disruptis, & discisis petris profundissimam specum, cuius fundus attingi non potest. In hoc egit Beatus Joannes per continuos 30. annos rigidissimam pœnitentiam. Hic apparuit ipse S. Franciscus sua sancta vulnera eidem conspicienda, tangenda, & osculanda præbens, qua visione, & contactu ita Joannes confor-

tatus, & latus remansit, ut octiduum  
absque cibo, & potu transegerit, eique  
terrena omnia foderint. Hic à San-  
ctis Apostolorum Principibus Petro, &  
Paulo multas, & frequentes recepit con-  
solationes, cum iisdem saepius collocu-  
tus. Hic magnò aliquando Vir Dei te-  
nebatur desideriò videndi Christi Geni-  
tricem, non in illa sublimitate, quâ  
nunc regnat in cœlis, sed in illa humi-  
litate, quâ conversabatur in terris. An-  
nuit Sacratissima Virgo, apparuitque  
oranti in ipsa illa veste, & humili for-  
ma, quâ vixit in mundo. Per integrum  
diem colloquium, & visio duravit, &  
multis eum Virgo affecit favoribûs, in-  
clinavitque caput ante se genuflexi in  
gremium suum, & multa aperuit Divi-  
na mysteria, quæ nulli hominum ille  
revelavit. Hic per tres continuos men-  
ses familiarî fruebatur sui Angeli Cu-  
stodis consolatiō, ut ab eo in tribulatio-  
nibus confortaretur, & in rebus Divinis  
instrueretur. Angelicus hic spiritus,  
dum Joannem per silvam recreationis  
cav-

nis causā deduceret ad suavem violini sonum, ei sacrarum scripturarum rese rabat arcana, quas dein egregiè est interpretatus. Hic fuit A. C. 1312. ab Henrico VII. Imperatore visitatus, cui multa narravit de Regno cœlesti, de summo Dei Imperio, cuius nutu Reges regnant, Principes imperant, de summa, quam debent Divinæ Majestati, & Sanctæ Ecclesiæ, subjectione. Hic vidit nocte quadam innumerabiles Dœmones sagittas mittentes in Fratres, quarum plurimæ retorquebantur in ipsos sagittarios; aliæ verò Fratrum corpora plus minusve penetrabant secundūm eorumdem demerita, qua visione intellexit Fratrum omnium qualitates, & mo res, atque inter eos fuisse viros sanctos, quibus dœmones nocere non poterant. Tandem anima ejus meritis dives volavit ad astra A. C. 1312.

Q. Quid de Capella Fratris Marci de Cortona relatu dignum?

B. A. C. 1563. accidit hic sequens  
horrendus Casus. Cùm Pater  
Guardianus considerata anni sterilitate  
prohibuisset, ne ullus Fratrum præter  
Janitorem pauperibus eleemosynam da-  
ret, & quidam devotus Frater cogno-  
minatus Marcus *de Cortona* quodam ve-  
speri Sacellum Sacrorum Stigmatum pro  
lucrificiendis Indulgentiis peteret, Dœ-  
monem in forma miserrimi mendici ha-  
buit obvium, qui cum planctu, & ge-  
mitu eleemosynam precabatur: Frater  
Marcus facta quidem obedientiæ refle-  
xione, sed charitate victus, rediit ad  
Cellarium, eique dimidium attulit pa-  
nem; quod cùm altero vesperi putati-  
vo pauperi eodem modō pro eleemosy-  
na instanti integrum dedisset panem,  
tunc Dœmon pium Fratrem maxima  
cum furia, & fremitu apprehensum præ-  
cipitavit ad altissimam speluncam petræ  
scissæ vicinam, eumque obsedit. Con-  
fratres audito tumultu, & apprehensa  
Cruce crystalina eum cum maximo fa-  
tigio deduxerunt ad Ecclesiam, ubi  
vir-

virtute Exorcismoruū fuit à Dæmonio liberatus. Istud factum est in illis partibus omnibus notum, & ante aliquot annos adhuc vixerat ibidem Frater Thadæus à *Vanna*, nonagenarius mortuus, qui optimè novit præmemoratum Fratrem Marcum, narravitque illum, quoties *Alverniam* nominari audivisset, ex paluisse, suspirasse, & flevisse.

## Q. Quid de Saxo Fratribus *Lipi*?

R. **A** Scendendo ad cacumen Montis, ubi à Domino Antonio Angelieri A.C. 1570. Capella quædam ædificata est, ut ibidem Peregrini superato Montis ascensu comodiùs requiescere valerent, inter præruptos lapides magna, aspera, saxeа moles dividitur à reliquo monte alto circumquaque præcipitio, nonnisi transmissi pontis beneficio accessibilis. Illuc tamquam in insulam, vel in fidam custodiam se recipiebat famosus quidam illius eremi prædo, qui, quos auxiliari-bus satellitibus suis apprehendebat via-

tores, quibus in viis regiis sternebat infidias, emissos per pontem versatilē iūlic tenebat, donec statutō pretiō redierentur. Multa inferebat vicinis populis damna, strages undique exercens, propter quas *Lipi* nomine undique audiebat. Doluit vehementer ad Francisci, & Sociorum adventum, nolens sui latibuli, & vitæ perditæ consocios habere. Sæpius jussit recedere, minas adjiciens, nil tamen timebant illi; nam ex Juvenale: *cantabit vacuus coram Latrone Viator.* Quodam tamen die seriò accendentem latronem, ut omnino eos de Monte deturbaret, S.Franciscus adeò placidè excepit, & minas tonantem, mala verba effudentem adeò patienter audivit, placidisque rationibūs iram furentis fregit, ut non solùm cohabitatores voluerit in Monte, verùm & se ipsum admitti confodalem in tugurio. Probavit per aliquot dies terrestrium hominum Angelicam vitam, quam lubenter amplexus mutatus est in virum alterum *Agnelli* nomen ex S. Francisci im-

impositione pro *Lipi* nomenclatura fortitius, vixit dein religiosissime, & mortuus est sanctissime.

---

## P A R S III.

D E

*Sacris Stigmatibus Sancto Patri  
Francisco impressis.*

Q. Quid intelligatur nomine Stigmatum?

R. G Ræcis Stigma idem sonat, ac vulnus, cicatrix, plaga, signum, seu nota alicui ferrō carenti inusta. Latini verò id Stigma vocant, quod ex vulneribus, vel verberibus plaga fit, vel ulcus. In Beato itaque Francisco non simpliciter signa plagarum Iesu Christi, seu cicatrices fuerunt, sed patula vulnera, & perfossa, perpetuum manantia sanguinem, corporis patentes aperturæ, plagæque illæ quinque, seu

M 4

vul-

vulnera fuerunt cruenta , è quibus semper stillabat sanguis , maximè verò è latere , non semper minutim , nec per guttas , sed frequenter in tanta copia , ut Sancti Viri tunica , & subligaculum cruore infecta ruberent ; hinc ad sanguinem sistendum quotidie Frater Leo fidelior Sancti Patris socius novas petiolas amotis prioribūs cruentatis , vulneribus Francisci adaptabat , excepto die Jovis ferò , & toto die Veneris , quō nullum vir Seraphicus remedium sibi apponi sinebat , ut illo die Crucifixionis , in Sacris Stigmatibus sentiret Jesu Crucifixi dolores .

**Q.** Utrūm isthæc Stigmata possint esse effectus vehementis imaginationis , vi cuius signa quandoque in corpore apparent ?

**R.** **S**pectatis materiā , & locō , in quo Sacra Stigmata Divo Francisco insculpta sunt , rationabiliter sustineri non potest , eadem esse vehementis ima-

gi-

ginationis effectum ; et si enim materia fluida ejusmodi imaginatone mutari, & alterari possit , ubi tamen dura est , imaginationi non obedit , ut dicit Augustinus Lib. II. de Trinit. cum ergo materia manuum , & pedum tota nervosa , & durior sit , quam in cœteris corporis partibus , consequitur , stigmatizationem hanc non virtute imaginationis , sed potestate Divina accidisse. Et tantò magis , quò Beatus Franciscus ex aperitione corporis in quinque locis , ex quibus jugiter sanguis emanabat , per biennium adhuc vixerit. Deinde si vehemens imaginatio Stigmata imprimere valuisset , hoc præ omnibus in Beata Virgine Maria factum fuisset , quæ præ aliis doluit , & juxta Crucem Domini Jesu stetit : quod tamen nec Ecclesia , nec aliquis Sanctorum Patrum afferit.

Q. An Sanguis ē manibus , pedibus , & latere Divi Francisci defluus ab aliquo fuerit collectus , & ubi asservetur ?

R.

R. **C**ollegerunt socii ex hoc sanguine,  
quod poterant, magnō studiō,  
& reverentiā in ampullis eum servantes.  
Una habetur in Conventu *Arcis Veteris*  
Patrum Conventualium Custodiae Aqui-  
lanæ, ex qua bonam sanguinis partē ma-  
gnis precibūs, pioque astu accepit Excel-  
lentissimus Dominus Dux Cæsinus, &  
Aquaſpartanus, qui magna solemnitate  
per publicas plateas solemnī, & nume-  
roſa supplicatione Fratrum, & Candi-  
datorum Archi-Confraternitatis Stigma-  
tum circumfertur Romæ quotannis in  
ipſa Sacrorum Stigmatum solemnitate,  
magnō miraculō illo die aliquando ebul-  
liens, & liquefactus, ut etiam evenit  
alteri parti, quæ remansit in loco *Vete-  
ris Arcis*.

Q. An decuerit, ut Dominus no-  
ster Jesus Christus Stigmata suæ  
Passionis alicui imprimeret?

R. **C**Um defactō ista Sacrorum Sti-  
gmatum impressio facta fuerit  
in Beato Francisco, certissimè, ut fie-  
ret

ret, decuit. Prætereà plures id suadebant congruentia. I. Ut Rex Regum, & Dominus dominantium more aliorum Regum, & Principum haberet vexilliferum, qui suæ Passionis arma deferret. II. Ut grande redemptionis beneficium oblivione, & ingratitudine in Fidelium cordibus obliteratum, denuò in memoriam hominum reduceretur. III. Ut signa plagarum in Christo post suam gloriosam Resurrectionem veraciter remansisse ( quod quidam in dubium vocarunt ) monstraretur ; decuit igitur Redemptorem nostrum virtute sui Corporis vivifici alicui imprimere Stigmatum decorem.

**Q.** Quare Sanctus Franciscus singulari Sacrorum Stigmatum privilegiò fuerit decoratus ?

**R.** **I** Deò Divum Franciscum præ cœteris decuit à Christo stigmatizari, quia perfectus fuit Jesu Christi imitator in nativitate, in vita, in moribus, in animarum

zelo, & in Passionis suæ doloribus conformior. Deinde quia erga Redemptoris nostri Passionem devotissimus semper extitit, & intensissimo erga Crucifixum inflammatus amore, quidquid enim agebat, Christum, & Crucifixum repræsentare volebat. Tandem; quia continuò Dominicam deplorabat Passionem, adeò, ut ob lacrymas, quas indesinenter fuderat, cæcutiret. Interrogatus, cur sic semper amarè fleret? nihil aliud se plorare respondebat, nisi Domini Iesu Christi Passionem. Unde Fratribus jugiter de Christi Passione faciebat sermonem dicens: se nihil aliud scire, nisi Jesum pauperem Crucifixum. Nil ergo mirum, si præ aliis Sanctis Crucifixo devotus, ejus Sigmatibüs fuit consignatus.

**Q.** An soli Francisco inflictæ fuerint Christi vulnera?

**R.** PLures à multis referuntur stigmatizati; sed nullus legitur ita penetrantia, & expressa habuisse vulnera, ejus-

ejusdemque qualitatis cum his, quæ extant, & tam irrefragabilibus testimoniorum Romanorum Pontificum, & Sanctorum Virorum Divo Francisco inficta recententur. Subjicio verba S. Antonini tit. 24. c. i. §. 3. *Quoddam singulare concessum fuit Beato Francisco, quod nulli inter natos mulierum legitur fuisse donatum, & hoc est impressio Stigmatum Iacrorum.* Quamvis Paulus de se dicat: *Ego Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Galat. 6. ¶. 17. nullus asserit, quod habuerit corporaliter signa Passionis in manibus, pedibus, & latere; sed dicuntur Stigmata, passiones multæ, & afflictiones, quas patiebatur ab hominibus plus, quam alii Apostoli: qua ratione etiam, & similitudine idem dicit: *Crucifixus sum, non quod fuerit crucifixus in corpore, sed in desiderio, & tolerantia multarum tribulationum, quas appellat crucem, quia cruciant.*

Nonnullæ tamen Sanctæ memorantur in proprio corpore Stigmata post S. Franciscum recepisse, de quibus Divinum Officium celebratur, inter quas Beata

ta Catharina de Riccis , de qua legitur  
in lectionibus secundi Nocturni à S. Con-  
gregatione approbatis A. C. 1736. Sa-  
crisque Stigmatibus , quæ non semel spectan-  
da se exhibuerunt , acceptis &c. Idem re-  
fertur in lectionibus Beatæ Luciæ Nar-  
nensis pariter à S. Congregatione appro-  
batis A.C. 1742. his verbis : *Sacris ibidem*  
*Stigmatibus, iisdemque conspicuis, ac cruen-*  
*tis à Christo Domino mirabiliter insignita est.*  
Tandem S. Catharinam Senensem Domi-  
nicanam, seu S. Dominici Tertiariam ,  
Stigmata etiam gestasse Domini nostri  
Jesu Christi , certum reddidit Ecclesiæ  
testimonium , dum Officium Impressio-  
nis Stigmatum in laudata Sancta appro-  
bavit A. C. 1727. Nemo tamen ultrà  
vulnera, seu cicatrices etiam clavos in  
manibus , & pedibus divinitùs fabre-  
factos à parte ante , & retrò protractos ,  
utì S. Frsnciscus habuisse legitur.

Q. An admiranda Divi Francisci  
Stigmatizatio fuerit prænun-  
tiata ?

R. Circà mysterium admirandæ Stigmatizationis præmonitus fuit Divus Franciscus Romæ A. C. 1216. à glorioſo Martyre S. Angelo Carmelitano dicente: *Salve Francisci humilitatis exemplum, qui portabis Stigmata Domini nostri Iesu Christi.* Deinde Abbas Joachim edixit de S. Francisco centum annis ante ejus nativitatem: *Veniet homo, qui erit insignitus characteribus Iesu Christi, eumque opere musivo in Æde S. Marci Venetiis cum plagis, eo habitu, & vestitu, quem postea erat assumpturus, & suis Sectatoribus præscripturus, exprimi curavit.* Accedit etiam præclarum illud Joannis Apostoli vaticinium: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, quod plus, quam ducenti Authores ab Antonio Dafsa citati de S. Francisco intelligunt.*

Q. An Divus Franciscus Angelica etiam relatione didicerit, se Sacris Stigmatibus decorandum?

**R.** **M**Anè die Jovis in Profesto Exaltationis S. Crucis apparuit Angelus Dei Viro Seraphico, eumque præmonuit, ut se præpararet ad omnia, quæcunque Deo placeret in ipso operari. Ad omnia se paratum respondit, nec in minimo Divinæ reluctaturum voluntati, dumodò gratia cœlestis adesset, quæ bona quæque volentem, & duriora non respuentem adjuvaret: indignum porrò se esse, circa quem Divina occuparetur cogitatio; servum tamen, licet inutilem se esse, & proinde rogaturum, ut fiat ei secundum Dei beneplacitum.

**Q.** Quid dispidente Angelo evenierit Francisco?

**R.** **P**ERsistente in oratione Viro Seraphico sanctissima ejus anima ad altissimum perfectæ contemplationis gradum elevata, & intimè cum Deo unita vidiit, & audivit in extatica hac visione, quæ non licet homini loqui, ei- que in ipso hoc instanti communicata fuit

fuit sui nihili, & Divinæ magnitudinis cognitio, ad quam admirabundus exclamavit Franciscus: *Deus meus! Deus meus!* quis es tu, & quis sum ego? hæc exactius contemplantem Franciscum ita alloquitur Deus: *Francisce! scis quantum te amem,* & quæ tibi largiar bona, velis mihi pro tanto amore, pro tantis beneficiis quodpiam offerre donum. Cui Franciscus: *Tu Domine nosti, tantam esse inopiam,* & paupertatem meam, ut præter laceram vestem solum supersit corpus, & anima, quæ jam pridem lubens, & volens tuæ Majestatis servitio consecravi. Urget Deus, ut amplius quidpiam offerret, & è sinu extraheret, quod haberet. Obediit Franciscus, & quem insperatò, & cum stupore reperit nummum aureum pulcherrimum, Domino obtulit: secundò item, & tertìo similiter petenti ejusdem magnitudinis duos alios porrexit. Mysterium extitit per ipsum Deum declaratum, tres illos aureos nummos adumbrare tria essentialia vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis à Francisco pro-

missa , & inviolabiliter semper obser-  
vata.

Q. Quæ præcesserit proxima dispo-  
sitio ad receptionem Sacrorum  
Stigmatum ?

R. **D**Um Franciscus in Festo Exalta-  
tionis S. Crucis summô dilucu-  
lô è Cella ad suum solitum Oratorium  
in vehementissimo Spiritûs fervore pro-  
peraret , instantèrque Dominum rogaret ,  
ut dignanter se faceret experiri immen-  
sos dolores illos , quos pro salute hu-  
mani generis sustinuit Unigenitus Filius  
Dei , & unâ participem redderet inten-  
sissimi illius amoris , quô pro peccato-  
ribus subiit tanta tormenta , tandem in  
ipso Oratorio altissimis immersus medi-  
tationibus , totus inflammatus , & ine-  
briatus Divino amore videt Seraph  
unum ( ut loquitur S. Bonaventura )  
sex alas habentem tam ignitas , quam  
splendidas de Cœlorum sublimitate de-  
scendere , cùmque volatu celerrimo per-  
ve-

venisset ad aëris locum Viro Dei propinquum , apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus, & pedes extensos habentis, & Crucis affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur , duæ ad volandum extendebantur , duæ verò totum reliquum velabant corpus. Tanta porrò ad Crucifixi præsentiam Mons luce refulgebat, ut vicini populi ortum jam esse solem existimârint , & vigiles Comitis Orlandi milites silvam, & montem ardere crediderint ; unde canit Cardinalis Rainierius : *Vertex montis inflammatus vicinis cernentibus.* Lætabatur quidem Franciscus in gratioſo aspectu, quô à Christo sub specie Seraph cernebat ſe confici ; ſed Crucis affixio compaſſivi doloris gladio ipſius animam pertransibat, ex quo teste Divo Bonaventura *mixtum dolori gaudium mens ejus incurrit.* Tandem Christo in petra Altari Stigmatum proxima coram Francisco ſubſiſtente , & poſt plura arcana familiaria colloquia de novo iſtante : *Franciſce! da mibi ali-*

*quid, eoque, ut prius, respondente,  
se nil, quod det, habere, jussit Domi-  
nus mittere manum in gremium, ex  
quo tribus distinctis vicibus tria aurea  
extraxit poma, eaque obtulit, per quae  
tres Ordines à Francisco institutos signi-  
ficari ipsemet Dominus revelavit, quem-  
admodum canit Ecclesia: Tres Ordines  
hic ordinat.*

**Q.** Quomodo impresserit Filius  
Dei sua sacra Stigmata Divo  
Francisco?

**R.** *T*andem magnum Seraphicæ sti-  
gmatizationis Sacramentum  
completurus Dominus noster Jesus Chri-  
stus sic affatur Franciscum: *Para te Fran-  
cise! faciam enim in te mirabilia bodie;* &  
reponente Francisco (utì tres ejusde n-  
socii narravere) *paratus sum.* Appli-  
cuit Christus successivè benedictas ma-  
nus suas manibus Francisci, ex quarum  
contactu tantum hic sensit dolorem, ut  
præ illius vehementia in terram utraque

vice corruerit dolentissimè suspirans: O Domine Jesu! stigmatizatis manibüs, ait rursus Christus ad Franciscum: Surge para te, & respondentē illo: paratus sum, posuit Christus sacrosanctos pedes suos suprà pedes Francisci, ex quo iterum tantum expertus est dolorem, ut præ illius magnitudine denuò ad terram prolapsus exclamārit: O Domine Jesu. Tandem ut Filius Dei, quod ab æternō prædefinivit, in Francisco compleret, ait ad eum: Francisce surge. Cui Franciscus: Ach Domine! quis poterit sustinere tantos dolores? subjungit Christus Dominus: & quid ageres Francisce! si flagella, sputa, alapas, spinas, & innumerā alia amarissimæ Passionis meæ tormenta, quæ amore humanæ salutis pertuli, ternerem experiri. Unde Franciscus incertanter respondit: ecce! me Domine paratum ad omnia, quæ tuæ sunt placita pietati. Tunc Christus amplexatus est Franciscum conjungendo latus suum cum latere Francisci, eique vulnus cum tali impressit profunduntate, ut pla-

ga sese ad cor usque protenderet , & Franciscus vehementissimo dolore tactus quasi exanimis ad terram ceciderit clamando : *O pie Jesu.* Hoc factō abiit Jesus in Cœlum , Franciscō sine sensu in terra usque ad horam nonam relictō. Videantur de Chron. p. 1. Montefer l. 4. Cetica l. 2.

**Q.** Cujus qualitatis , & formæ fuerint hæc Stigmata ?

**R.** Dexterum latus quasi lanceā transfixum rubra fuit cicatrice obdutum , quod sæpè sanguinem effundens tunicam , & fœmoralia respergebat. Capita clavorum in manibus , & pedibus rotunda , & nigra erant : clavi isti in interiori manuum parte incipiebant ad partem exteriorem resultantes. In pedibus in superiori parte acumina longa ab alia parte regredientia retorta , & quasi repercussa ad orbicularitatem ; unde oportebat Beatum Franciscum , vel in ultima parte pedum , scilicet calca- neis

neis semper incedere, vel asellô, vel à Fratribus deportari. Ex hoc prodigo, quòd neimpè Beatus Franciscus in similitudinem Christi transformrtus sit, singulos clavos singulis manibus, & pedibus infixos hâbens, non leve argumētum videtur, quaternis clavis Christum crucifixum fuisse, latusque ejus dexterum, non sinistrum fuisse lanceâ perforatum.

Q. Quæ fuerint specialiter in his plagis prodigiosa?

B. Erant plura. I. Id erat admirandum, quòd vulnera fuerint in medio manuum, in medio pedum: nec sicca, sed semper sanguinem stillantia. II. In medio vulnerum clavi infixi, nec illi ferrei, sed ferreis similes, nigri, duri, fortes, solidi, capitati, cuspidati, quorum materia, ut dixit Alexander IV. de subiecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit. III. Clavi circumquaque à reliqua carne in pedibus,

bus, & manibus erant separati, & remoti, ut petiolæ inter ipsos, & carnem ad reprimendam continuam sanguinis effusionem ponerentur ; & tamen clavi sic à carne præcisi, nec à pedibus, nec à manibus, cum plures attentassent, ē suis locis extrahi, & amoveri potuerint.

**IV.** Id tandem mirum, quod per integrum biennium immedicata, nec unguentis, aut aromate fota non comptruenterint, nec putuerint, neque ingratum, sed optimum, & fragrantissimum teste Roberto *à Licio* Serm. 1. de S. Francisco c. 2. spirarint odorem : & quod tot hiantibus, sanguinolentisque vulneribus tam diu Vir Sanctus supervixerit.

**Q.** Quando fuerit insigne donum  
Sacrorum Stigmatum Divo Fran-  
cisco collatum ?

**R.** **B**iennio ante mortem Stigmata Beato Francisco impressa fuisse scribit S. Bonaventura, cuius ætate is dies ignorabatur; unde dicebat: *quodam manè cir-*

ea Festum Exaltationis S. Crucis, & non  
in die Festo. Post annos autem quin-  
quaginta sex ab obitu S. Patriarchæ,  
nempe A.C. 1282., ut testatur Barthe-  
lomæus Pisanus, Auctorque Chroni-  
corum 24. Generalium sub Ministerio  
Generali P. F. Bonagratiae, Divina re-  
velatione edoctus fuit quidam Sanctus  
Frater Laicus Matthæus à Castilione,  
summò diluculò in die Exaltationis S.  
Crucis, id est, 14. Septembris uno die  
Veneris A. C. 1224. Ecclesiam guber-  
nante Honorio III. Romanum tenente  
Imperium Friderico II. Seraphicum Pa-  
rentem nostrum signa Dei vivi acce-  
pisse, ut illo die, quò ab Heraclio Im-  
peratore à Persis ablata Christi Salva-  
toris Crux in Monte Calvariæ magno  
honore restituta fuit, in Monte quoque  
Alverniæ ejus amarissima Passio in Di-  
vo Francisco renovaretur.

**Q.** An speciale aliquod privilegium fuerit Divo Francisco intuitu Sacrorum Stigmatum à Christo Domino concessum?

**R.** **I**nnotuit teste Pisano post mortem Seraphici Patriarchæ, qui iterum devoto apparens Fratri Matthæo à Castilione revelavit, sibi à Christo post impressa Stigmata inter alia promissam esse quotannis 4. Octobris aliquarum animarum ex terno suo Ordine liberationem, addens Christum sibi sequentia dixisse: *Scias Francisce! quid fecerim tibi; ego tibi dedi Stigmata mea, & in sanguum, quod Vexillifer meus sis effectus; sicut ego in die obitū mei ad limbum accessi, & meritis, ac virtute Stigmatum Passionis meæ omnes animas, quas inveni, extraxi; sic volo, quod & tu, ut sis mibi conformis in morte, sicut es in vita, in die Natalitii tui vadas quolibet anno ad Purgatorium, & animas Trium Ordinum, scilicet Minorum, S.Claræ, & Pœnitentium Tertiæ*

*Or-*

*Ordinis, quas ibidem inveneris, in virtute,  
& efficacia tuorum Stigmatum eruas, &  
ad gloriam Paradisi perducas.*

Eximum istud privilegium etiam Beatæ Virgini Joannæ de S. Cruce revealatum est, cui in Festo S. Francisci per sex horas in extasim raptæ Dominus apparuit, indicavitque, se Franciscum in Purgatorium misisse, ut per virtutem, & prærogativam Stigmatum ejus animas sibi devotorum, & Trium ejus Ordinum ibi detentas, inde liberaret. Amplius ei revelavit, hoc fuisse Beato Francisco concessum singulis annis usque in finem mundi. Porrò Revelationes Beatæ Joannæ apud Doctos magnæ sunt authoritatis.

**Q.** Quæ alia bona contulerint Stigmata Divo Francisco, & quæ nobis?

**R.** **V**irtute Sacrorum Stigmatum obtinuit Franciscus perfectiore sanctificationem, & gratias copiosiores, ut mortali-

taliter non peccaret aliquando. Deinde factus est Dœmonibus terribilis ; si enim videndo Crucem fugiunt , & contremiscunt, procul dubio Beatum Franciscum videndo signis Dominicæ Passionis decoratum ab ejus facie recedebant. Tandem accepit donum Martyrii ; qui enim prius mente , & voluntate Martyr erat , receptis Stigmatibus mente , & corpore factus est Martyr , adeò ; ut ipse veraciter gloriari posset : *Nemo mihi molestus sit ; ego enim Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*

Nos item ex ejus stigmatizatione grande beneficium , & magnum sentimus patrocinium ; sicut enim Dominus Jesus , ut ait D. Bernardus Tract. de dilig. Deo , ante patrem ostendens latus , & vulnera sua , quæ sustinuit in sua pro hominibus Passione , eumdem erga nos ad pietatem inclinat ; ita & Beatus Franciscus ostendens Stigmata Dominicæ Passionis sibi à Filio Dei impressa flectit Patrem , & Filium ad misericordiam , & clementiam erga pecca-

to-

tores. Unde hortatur S. Antoninus tit. 24. c. 1. §. 3. ut quisque cum devotione ad eum recurrat, ut sibi faciat Deum propitium, & perducat ad Regna Cœlorum.

**Q.** Quis fuerit Sacrorum Stigmatum insculptor, Christus ipse met, an Angelus aliquis?

**R.** EX levi quadam conjectura autem aliqui, Sacra Stigmata fuisse Divo Francisco per Michæleum Archangelum impressa, eò, quod in honorem ejus S. Pater Quadragesimam inchoasset. Sed certissimum est, nullum alium fuisse ab ipso Christo, qui per se immediatè in forma Seraphim apparens Sancto Viro quinque vulnera insculpsit; nam præter Officium Ecclesiasticum, quod pro celebranda horum Stigmatum Impressione jam ubique recitatir, multa Diplomata Pontificia praesentem veritatem sacram, certamque reddunt. Inter alios Romanos Pontifices

fices Gregorius IX. in sua Bulla : *Confessor Dei gloriosus &c.* afferit, Beatum Franciscum Stigmata Domini Jesu veraciter in suo corpore à Christo impressa habuisse. Et hoc tenendum mandat Fidelibus, & credendum. Id etiam ipse Vir Seraphicus cuidam Fratri Lai-co Matthæo à Castilione Religioso Sanctissimo post mortem suam revelavit his verbis : *Christus, sicut vulnera in Cruce suscepit, ita in corpore meo impressit, primo manibus, deinde pedibus, postea lateri vehementissimo corporis cruciatu.*

**Q.** Quibūs mediīs hæc Francisci stigmatizatio veridica, & authentica probetur ?

**R.** **I**mprimis testibūs occulatis fide dignis. Quamvis enim S. Pater manus quasi semper portaret contectas, & pedibūs ex tunc incederet calceatis, viderunt tamen, dum viveret, Fratres plurimi, qui licet ob vitæ sanctissimam Viri essent fide dignissimi, attamen

men ad removendum omne dubium sic  
esse, ac se vidisse, tactis sacrosanctis  
Evangelii juramento firmarunt. Vide-  
runt etiam ex familiaritate, quam cum  
Viro Sancto habebant, aliqui Cardina-  
les, inter quos Rainerius de Viterbio,  
qui composuit Hymnum Laudum: *Plau-  
de turba paupercula &c.* ubi inter alia de  
Stigmatibus loquendo dicit in quodam  
versu: *Vili coniectus tegmine, sancto calefcens  
flamine vicit algorem, caumata, Christi dum  
gestat Stigmata.* Item famosissimam An-  
tiphonam: *Cælorum candor splenduit, novum  
sidus emicuit, Sacer Franciscus claruit, cui  
Seraph apparuit, signans eum charactere in  
volis, plantis, latere, dum formam Cru-  
cis gerere vult corde, ore, opere.* Quod  
testimoniō nihil apertius. Deinde Emi-  
nentissimus Dominus Cardinalis Tho-  
mas de Capua, qui duos Hymnos ad ho-  
norem Beati Francisci composuit; sci-  
licet: *In cœlesti Collegio &c.* qui dicitur ad  
**Nocturnum;** &: *Decus morum Dux Mi-  
norum &c.* qui in secundis Vesperis can-  
tatur, ubi in quodam versu sic habet:

*Regis signum, Ducem dignum insignit, manu, latere &c.* Summus etiam Pontifex Alexander IV. coram multis Fratribus, & me ipso ( ait S. Bonaventura ) affirmavit, se, dum Sanctus viveret, Stigmata illa Sacra suis oculis conspexit. Viderunt tandem in morte plus, quam quinquaginta Fratres, multique Cives Assisiates, qui mortuō Beatō Franciscō ad locum de *Portiuncula* confluxerunt, viderunt, tetigerunt, deosculati sunt.

**Q.** Qui in specie viderint, & tetigerint laterale Vulnus?

**R.** **V**Ulnus lateris S. Pater in vivis tam sollicitè occultavit, ut illud nemo, nisi furtim contueri potuerit. Unus ex Fratribus Joannes *de Laudie* dictus, qui ei sedulō ministrare solebat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam, induisset, attentè respiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans tam visu, quam tactu vulneris

ris quantitatem agnovit. Consimili cau-  
tela vidit eamdem Frater Elias, & Fra-  
ter Ruffinus, ut habetur in Legenda Gre-  
gorii IX. dum instantissime petiit, ut  
Vir Sanctus cum eo tunicam commuta-  
ret. Frater Leo Viri Sancti socius ad-  
mirandæ simplicitatis, dum causâ infir-  
mitatis languentes scapulas contrectaret,  
manu per Capuccium missa, & casua-  
liter vulneri sacro illapsa, magnum ei  
dolorem excitavit; unde deinceps por-  
tabat Vir Seraphicus fœmoralia ita fa-  
cta, ut usque ad axillas pertingerent  
ad vulnus laterale contegendum. Fra-  
tres quoque, qui illa lavabant, vel  
tunicam excutiebant, quia tunc invenie-  
bant eam sanguine rubricatam, indu-  
bitanter per evidens signum in cognitio-  
nem sacri vulneris pervenerunt.

**Q.** An sacra Stigmata etiam San-  
cta Clara cum suis Sororibus  
viderit?

B. **C**um post mortem sacrum Francisci corpus Assisium deferretur, declinantes à recta via Fratres aliquantulum, & ad S. Damianum, ubi Virgo hæc nobilis Clara cum suis Sororibus morabatur, & ibi aliquantulum subsistentes sacrum Corpus videndum, & osculandum præbuerunt, quæ indicibilem consolationem habuerunt contrectando Patrem, & Stigmata illa Christi devotissimè osculantes. Tunc Beata Clara conata est clavum à manu removere, sed non potuit.

Waddingus ad A. C. 1224. sub num. 18. refert, in Ecclesia S. Georgii Clarissarum Assisii servari quoddam genus cataplasmati, seu emplastri, quod ad lenientum lateralis plagæ dolorem, & sanguinem retinendum Viro Sancto fecit Virgo Sanctissima Clara, similiter & calceos ejusdem Virginis industriâ ita factos, ut superiorem pedum partem, ne videretur, cooperirent, & inferiorem ita à terra elevarent, ut prominentes clavorum cuspides gressum non omni-

nò impedirent. Istud mihi etiam ante aliquot dies duo alii recensuerunt Fratres, unus Minorita, alter Reformatus, qui prædicta propriis oculis conspexerunt Assisii aliquando existentes.

**Q.** An veritas Sacrorum Stigmatum etiam miraculis firmetur?

**R.** PRætermissis aliis recenseo ex Waddingo sequentia. I. In Provincia Reatina gravissima invaluerat pestis, quæ oves, & boves omnes crudelissime consumebat. Vir autem quidam Deum timens noctu fuit per visionem communitus, ut ad Eremitorium Fratrum festinanter accederet, & loturam manuum, ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis ibidem morabatur, acceptam super cuncta animalia aspergeret. Manè itaque surgens venit ad locum, loturâque hujusmodi per socios Sancti Viri latenter obtentâ, oves, & boves languentes ex ea respersit. Et ecce! statim, ut aspersio animalia languida in terra jacentia attigit, pristino recuperato vi-

gore continuò surgebant, & ad pascua festinabant, sicque factum est, ut per admirandam aquæ illius virtutem, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus à gregibus fugaretur. II. Circa Montem Alverniae, antequam Divus Franciscus sacra ibidem recepisset Stigmata, nube ex ipso monte surgente grandinis violenta tempestas fructus terræ consuetudinariè devastabat, quæ post recepta à Divo Francisco Stigmata ex toto cessavit. III. Contigit Divum Franciscum tempore hyemali propter debilitatem corporis, & asperitatem viarum cuiusdam hominis pauperis subiectum asellô, sub rupis cuiusdam prominentis pernoctare crepidine, ut nivis, & noctis supervenientium quoquò modo declinaret incommoda, quibüs præditus ad hospitium non poterat pervenire. Cum autem Franciscus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus sensisset, quod tenui operimento contextus quiescere præ frigoris acerbitate

te nequiret, Divini amoris fervore succensus manu illum protensa palpavit, ubi repente ad illius sacræ manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore, tantus in virum intus, & extræ calor advenit, ut suavius inter saxa, & nives usque manè dormierit, quam unquam in proprio lecto jacuerit, sicut ipse met postea asserebat.

**Q.** Quis sit Author Officii Sacrorum Stigmatum?

**R.** Proprium Officium Sacrorum Stigmatum, quomodo in hac Solemnitate ab universo Ordine Franciscano recitatur exceptis RR. PP. Conventualibus, qui ab aliquibus annis novô utuntur Breviariô, concinnavit Reverendissimus Pater Gerardus Odonis Gallus Provinciae Aquitaniae in Capitulo Generali Parisiensi A. C. 1329, electus Minister Generalis, indeque Patriarcha Antiochenus, ac Catanensis Episco-

piscopus. Id autem composuit ex diversis Hymnis, Responforiis, Profisi, & Rithmis Ecclesiasticis, à variis Cardinalibus, & Summis Pontificibus in honorem Beati Francisci conceptis, prout testantur plures graves Authores citati ab Asturo in suo Martyrologio Franciscano ad diem 17. Septembris.

Q. A quo sit institutum Festum Sacrorum Stigmatum?

R. In isthoc mysterium adeò admirabile, tantopere testatum, atque in Pontificiis Diplomatibus præcipuis Laudibus, & favoribus exaltatum Benedictus Papa XI. anniversaria Solemnitate, & Officio Ecclesiastico celebrari voluit die 17. Septembris, quia dies 14. ejusdem mensis plerumque est alia Solemnitate præoccupata, quem ritum postea universus Ordo in Comitiis Generalibus Caturci, vulgo Cahors in Gallia celebratis A. C. 1337. acceptavit. Tandem Paulus V. Pontifex Maximus, ut chor-

corda fidelium in Christi Crucifixi accenderentur amorem, intercedente Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico, negotiumque promoventibus Eminentissimo Domino Gabriele de Trejo S. R. E. Cardinali, & Reverendissimo Patre Antonio à Trejo supremo Ordinis Rectore, dein Episcopo Carthaginensi, ejusdem Cardinalis Fratre germanō, consentientibus ceteris Sacrorum Rituum Præfectis Cardinalibus ad universam Ecclesiam A. C. 1616. propagavit.

**Q.** Quomodo valedixerit Seraphicus Pater ante suum abscessum Sacro Alverniæ Monti?

**R.** **S**ic hanc valedictionem descriptam reliquit Frater Massæus ejusdem S. Parentis socius: Jesus Maria unica spes mea. Frater Massæus peccator, indignus servus Jesu Christi, & socius Fratris Francisci Assisiatis hominis Deo gratissimi, pacem, & salutem Fratribus, & Filiis magni Patriarchæ Francisci, & Vexilliferi Christi.

Postquam Seraphicus Pater A. C.  
224. die 30. mensis Septembris in Festa  
S. Hieronymi Sacrum Alverniæ Montem  
relinquere statuisset, idque Illustrissimo  
Comiti Orlando innotuisset, misit ei ob-  
viām asellum, quō hinc ob læsos, &  
vulneratos pedes deportaretur. Audi-  
tō ergo secundūm consuetudinem sum-  
mō manē Sacrō in Capella S. Mariæ An-  
gelorum, convocavit ad Oratorium o-  
mnes Fratres, sub sacræ Obedientiæ  
merito ipsis injungens, ut se invicem  
sancta, & fraterna charitate prosequan-  
tur, Oratorium in summo honore ha-  
beant, ac Divinis Officiis diu, noctuque  
concelebrent. Amplius tam præsentes,  
quām futuros Fratres singulari spiritūs  
fervore est exhortatus, ut sacrum Al-  
verniæ Montem, in quo Pignora nostræ  
Redemptionis suscepit, summō pietatis,  
& devotionis studiō colant, benedicens  
eum inhabitaturis, & veneraturis, male-  
dicens autem eumdem profanaturis. Mi-  
hi etiam aperuit S. Franciscus ( sub-  
jungit Frater Massæus ) suæ esse inten-  
tio-

tionis, ut semper meliores de suo sacro  
 Ordine huc de Familia collocentur. Di-  
 sposuit etiam S. Pater mihi ( ait Frater  
 Massæus ) Fratri Angelo, Fratri Syl-  
 vestro, & Fratri Illuminato, ut sacri  
 hujus Loci specialem curam geramus.  
 Tandem S. Franciscus ad Fratres con-  
 versus pleno affectu valedicere cœpit.  
 Vale! vale! vale! Frater Massæe. Va-  
 le! vale! vale! Frater Angele. Vale!  
 vale! vale! Frater Sylvester, & Frater  
 Illuminate. Manete in pace filioli di-  
 lectissimi. Discedo à vobis corpore: at  
 cor meum relinquó vobis. Pergo ad  
 S. Mariam de Angelis huc non reversu-  
 rus amplius. Valete! valete! valete!  
 Omnes. Vale Sancte Mons! vale Mons  
 Alverniae! Vale Mons Angelorum. Va-  
 le dilectissime Frater Falco! tibi pro  
 exhibito obsequio gratias ago. Vale!  
 vale! vale durum saxum, in quo re-  
 quievi. Vale! vale! vale petra, quæ  
 te aperuisti, & de monte præcipitan-  
 dum intra tua viscera suscepisti. Vale  
 rupes, sub qua delitui. Vale S. Ma-

ria Angelorum ! tibi commendo hos  
filios meos Mater Æterni Verbi. Dum  
S. Patriarcha hæc loqueretur, fluebant  
largiter lacrymæ de oculis nostris ; abiit  
tandem à nobis flens ille, & nos Or-  
phani absque Patre relicti sumus.

EGO FR. MASSÆUS  
HÆC LACRYMIS MEIS  
SCRIPSI. DEUS VOS BE-  
NEDICAT.

Q. Quo se dein contulerit Beatus  
Franciscus acceptis Sacris Sti-  
gmatibus ?

A. Montem Acutum venit cum  
Fratre Leone, ubi summa ala-  
eritate acceptus fuit à suo amico Comi-  
te Alberto Borbolani ejusdem loci Do-  
mino. Is, cum à Francisco audivisset,  
se non amplius regressurum propter su-  
as infirmitates, & instantem mortem,  
dolens aliquid ab eo in sui memoriam  
petiit, quô perpetuæ absentiæ dolorem  
leniret : sed Vir Dei nihil præter habitum  
ha-

habens, devoto hospiti illum obtulit, qui accersito sartore, & comparatō pan-  
nō aliud Viro Sancto efformavit oper-  
culum. Per plures generationes Do-  
mini Montis Acuti possederunt hunc sa-  
crum habitum ; donec venit tandem in  
potestatem Serenissimorum Ducum He-  
truriæ, quem summo in pretio habent  
argenteis thecis inclusum, & Floren-  
tiæ asservatum ; nec omnibus, sed vi-  
ris Principibus, vel religiosioris notæ  
hominibus ejusdem videndi multis ac-  
censis Cereis, præsentibūs etiam ipfis  
Ducibūs, vel ipsorum filiis faciunt po-  
testatem.

Præter insigne præmemoratae vestis  
donum Divus Franciscus pro Familia  
Comitis Alberti etiam hanc singularem  
a Deo impetravit gratiam, ut ante cu-  
jusvis edicta domo mortem quædam lu-  
mina circa præfatam arcē appareant. Ita  
Salvator Romanelli in descriptio-  
ne Sacri Montis Alverniæ.

F I N I S.



